D. STEPHANI
PRIMI POLONORVM
Regis Magnique Lithuanorum Ducis, etc.

Sanitas, Vita medica, AEgritudo, Mors.

A.

SIMONE SIMONIO Med. Doct. atq; intimo Maiestatis illius Medico.

Iussu, & voluntate, Illustrissimi Domini Domini Alberti Radzivvili, Ducis in Olicka, & Niescuiecz, Magniq; Ducatus Lithuaniæ supremi Marscialci exposita, scriptoq; comprehensa.

NYSSAE TYPIS ANDREAE
Reinheckelij. Anno
M. D. LXXXVII.

ILLVSTRISSIMO GE- neroſiſsimoquè Principi ac Dño Dño Alberto Radzivvilo Duci in Olicka & Nieſcuiecz, Magni Ducatus Lithuaniæ ſupremo Marſcial- co Domino ſuo benigniſsimo.

Simon Simonius Med. Doct.

DE ſanitate ac vita (quantum quidem ad ſanitatis cuſtodiam pertinet) de Ægritudine & Morte, Diui Stephani Polonorum Regis Magniq; Lithuaniæ Ducis, quæcunq; non audiui modo, ſed vidi, meiſq; ipſis tractaui manibus, ea iuſſu, & voluntate tua Illuſtriſsime Generoſiſsimeq; Princeps (cui parere atq; obſequi decuit, ac neceſſe fuit) paucis hiſce chartis bona fide, rectiq; conſcia mente, ſcitu neceſſariora expoſuimus omnia. Dolenda ſanè tanti Regis, tam ſubita & inopinata mors. Sed homo fuit. Atq; is, ea corporatura, eaq; victus, & vitæ totius conditione, vt ante biennium multis (qui id vltro paſsim iam dictitant atq; teſtantur) prædixerim: verendum, ne, non aliuſmodi, Regi quidem vitæ, nobis verò ipſius Maieſtatis Seruiſ, tam diuturnæ ac diuitis ſpei finem, malignior dies aliquis improuiſò faceret. Illud tamen ſummopere lugendum: Regem, qui tanta Maieſtatis gloria, honeſtatiſq; ac iuſtitiæ laude vixerat, eo quo ſcimus modo, diem obijſſe ſuum. Cuius rei culpa, in quem conferri iure debeat, ex fideli totius ægritudinis Regiæ decurſus narratione, vt intelligatur, Tu Illuſtriſsime Princeps pro tui officij munere, ac ſumma authoritate, voluiſti: & verò neceſſarium iudicaſti: quô maleuolorum ac improborum, quorundam, qui Senatus proceres tum præ-

ſentes

ſentes (à quibus noxia omnis procul fuit) tacitè ſu-
gillatos ac negligentiæ alicuius ſuſpicione aſperſos per
hominum atq; exterorum etiam ora traducere poſſent,
iniqua peruerſaq; opprimantur iudicia : & vnà, Polo-
nicæ ac Lithuanicæ Nobilitatis præclara exiſtimatio,
quæ ſuam tot iam annis ac ſeculis, integram retinens
atq; inuiolatam libertatem, ſuos nihilominus vbiq; ac
ſemper Principes & Reges: cum ſubiectiſsima venera-
tione animi fideliſsimè coluit, ac debitis omnibus pie-
tatis officijs, continenter hactenus proſequuta eſt, omni
labe ac illata fortè ab inuidis macula liberetur. Præcla-
rum ſanè hoc inter tot alia à te Illuſtriſsime Princeps
hactenus edita erga Regem etiam defunctum tuæ con-
ſtantis fidei inuictæq; charitatis erga patriam, quæ
omnes omnium charitates complectitur: amplumq; ſa-
tis teſtimoniũ. De cætero, mendaciorũ vindicem Deum
teſtor: me hoc ſcripto (breui quidem illo: nam alteri in
quo minutius recenſentur omnia excuſſa diligentius,
non populari trutina, ſed aurificis ſtatera examinantur
ſingula iam poſtremam impono manum) rem ipſam
prout habuit veriſsimè, nulloq; verborum aut rerum
fuco addito ſimpliciſsimè narraſſe. Et ſanè præterquam
quòd ſcio, virum bonum nunquam decere de induſtria
mentiri, nollem etiam in mendacio ibi deprehendi, vbi
ſunt per ſe clara & manifeſta omnia: adeoq;, vt etiam
ſi ea confirmare teſtium confeſsione minus queam, quo-
quo tamen ſe duo illi viri boni, qui iſtorum omnium
conſcij, ad præuertendæ hominum iudicia, deriuatoq; ſi
quo tandem poſsint modo in alienum caput, hominum
odio, ſe, omni culpa eximendos, in mei nominis digni-
tatem conſpirarunt, nunc ſe torqueant: & quicquid
ijdem foris ea palam inficiando, quæ clam geſta ſunt
intus, ad publicam reprehenſionem, vel grauiorem for-

 te aliquam

te aliquam animaduerſionem declinandam effugien-
damq́; agant, comminiſcanturuè: id aſtutè ac iniquè
fuiſſe confictum, rei totius geſtæ ſeries ac ratio, ſatis
monſtret: ipſiq; adeò Regij cubiculi parietes clament. Et
ſane meminiſſe credo adhuc Illuſtriſsima Generoſitas
Tua potuit, cum altero à Regis obitu, die, Grodnæ,
haud vero multo poſt vilnæ, recenti etiamnum Regiæ
mortis memoria, rationem ſenatoribus, aulæ proceribus,
& Equeſtris ordinis hominibus, qui tum frequentes
conuenerant, ſi vellent ac paterentur omnium quæ à
Medicis & Aſtantibus geſta eſſent, redditurus, vltro
præſtiterim: ea nimirum fidei officijq́; conſcientia (quæ
mihi pluris eſt quàm omnium ſermo) armatum, quæ
nullius vitare conſpectum aut formidare congreſſum
vſquam debeat. Extat quoq; pleniſsima grauiſsimarum
quærelarum, inſtituta in Ferenz Veſelinum Actio, Re-
giorum omnium Aulicorum nomine ſcripto compre-
henſa, & in proximè celebratis Varſauiæ, interregni
comitijs, oblata Senatoribus: ex qua, multa etiam du-
cere argumenta, ad illa ipſa comprobanda licet, quæ
iam non in vllius odium aut ignominiam, ſed ad ipſam
rei veritatem duntaxat, in tanta opinionum hæſitatio-
ne ac varietate iudiciorum explicandam, meumq; ani-
mi ſenſum non callidè, ſed libere atq; ingenuè decla-
randum, ſcribere iubeor. Quanquam negare non au-
ſim eò me hac quidem in re libentius alacriusq; Illuſtriſ-
ſimæ Generoſitatis tuæ iuſsis obtemperaſſe, quòd ea-
dem opera, cum defuncti Regis Illuſtriſsimæ familiæ,
quam iſti, bonæ ſcilicet conſcientiæ homines, horrendi
ac hæreditarij morbi macula onerare falsò, quàm ne
propriam detegerent inſcitiam, vel accuſarent negli-
gentiam, id quod res eſt, libere dicere, maluerunt: tum
verò etiam, vt bonæ ac præclaræ (rumpantur licet Co-
drorum

drorum ilia) totq; iam laboribus ac studÿs medicis apud omnium prope nationum doctiores quosq; homines per Dei gratiam partæ existimationi meæ, commode honesteq; vnâ iri consultum intelligerem: quam falsa duorum illorum quos antea significaui, huc illuc per Poloniam ac Lithuaniam patrocinium & fauorem Procerum suppliciter (ne dicam aliud) ambiendo, discurrentium, scriptitantiumq; narratione: imo verò iam cuiusdam etiam strabonis Itali, vilissimi atq; ignobilissimi, Empirici, barbara insulsaq; scriptione, a Bucella (tales hic sibi deuotos vbiq; multos habet) dictata (quod ipsemet strabo palam fatetur) & a multis visa lectaq;, violatam ac laceratam esse multorum cum sermonibus tum literis docere possum. Deus qui & dat Principibus Regna, & Principes Regnis pro sua iustissima voluntate aufert, vniuersæ huic amplissimæ Potentissimæq; Polonorum Reip. pium, fortem, iustum, clementem, beneficum Regem præficiat: eandemq; pro sua benignitate florentissimam in omne æuum conseruet: tibi verò Illustrissime Princeps, totiq; Illustrissimæ ac Generosissimæ Radzvvilorum Heroum familiæ, easdem de Rep. per tot maiorum suorum ætates, tot pace belloq; memoralibus gestis, optimè ac præclarissime meritæ, concedat fœlicissima quæq;. Kounæ Lithuanorum die prima Martÿ anni reformati
M. D. LXXXVII.

STEPHA-

STEPHANI PRIMI

Serenissimi Polonorum Regis, & Magni Lithuaniæ Ducis, etc.

Sanitas, Vita medica, Ægritudo, Mors.

Valetudinis Regiæ status

CONSTARE credo satis ex ipso primo aspectu, cuiq; artis medicinæ vel rudiori professori potuit, fælicissimæ memoriæ D. Stephanum primum Polonorum Regem, Dominum meum clementissimum ea totius corporis natura, constitutioneq; ab ortu ipso fuisse, quam isti temperamento calidiore, humidioreq; (laudato & salubri tamen illo) nobis definiuere. Color ipsius Maiestati floridus: rufi hactenus crines sed iam, canescentes: cutis glabra potius quàm hispida, inter mollitiem duritiemq; media, densa, tangentis manum blando satis colore demulcens: pulsus arteriarum, neq; tardus nimium, neq; concitatus, vehemens satis & validus: habitus corporis pene carnosus, densus & firmis neruis succiq; plenis musculis robustus, sed pinguedine tamen, abdominis præsertim, obesior: procerior corporatura (idq; non tam ex humiditate nimia, quàm ex materiæ seminalis copia) in qua tamen externæ partes eo omnium inuicem consensu, adeoq; iusta sibi commensuratione cunctæ conuenissent, nullo euidenti ac deformi excessu aut defectu, altera vt alteram exsuperaret vel ab altera superaretur: appetentia cibi potusq; satis constans & moderata. De cætero, prudens animus, mature consulens, fortis, atq; vt vt nonnunquam ad momentum temporis iracundior, mitis tamen, & clemens: in cibo, potu, ac voluptatibus ferme omnibus alijs; (unum si excipias fructum vsum & venandi studium, quod immaturam ille deinde attulit mortem) temperans: veritatis amans: acutus: sagax: ingeniosus: atq; omnino cum sentiendi, tum ratiocinandi vi præditus vix non inculpata prorsus. Nullæ vnquam capitis, nullæ ventriculi, nullæ vllius internæ partis quadriennio toto, quo ipsius Maiestati a corporis cura, intimaq; consuetudine, & quotidiano vsu adiectissimus fui, immò verò & ante id tempus quoq; vt ex narratione multorum accepi, perraro auditæ aliquæ querelæ: nulla vnquam vel visu vel tactu deprehensa, insignis aut etiam euidens natura vel adscititia viscerum labes aliqua. Erat in summis Regis corpus, salubribus vocatis plurimùm, & ijs quæ laudata κατ᾽ ἕξιν sanitate quadam constant, adnumerandum. Contracta ex vetere luxatione sinistri genu, vulnereq; in eiusdem lateris pede olim accepto, imbecillitate, minus libero firmoq; ac fere titubante crure, incedebat: dextroq; etiam (vt mox dicemus) non multo liberius expeditiusq;: quanquam pro corporaturæ mole constanter vtcunq; satis. Balnei aluminatarum

tarum

tarum fortasse vel atramentosarum aquarum intempestiuo atq; immoderato vsu, adstricta nimium cuti proindeq; thoracis partibus nonnihil vnâ læsis, impedita transpiratione (cum alioquin is esset cui de corpore plurimum continenter auferendum inerat) ac repulsis eo modo sursum versus in cerebrum causis, correpta iam olim fuerat Maiestas ipsius, dum adhuc in Transyluania viueret, soporoso quodam affectu: quem ego, quantum quidem ex morbi insultu, moribus, progressu, solutioneque conijcere tunc poteram, dum vniuersam historiam mihi Rex ipse narraret (narrauit autem non semel sed pluries) ad Catochum seu Cathalepsin quandam, fuisse referendum duco. Hac potissimum re, loci illius Medici, suum scilicet sequuti cerebrum, illuc adducti sunt, vt præter alia à se administrata remedia, aperta infra genu dextrum cute, factoque ignea vi emissario (cauterium vulgus appellat) id procurare atq; obtinere studuerint, vt repurgante sensim inde se natura, ichorosorum illorum ac fluxiliorum recrementorum quæ in tam magni, & quidem liberaliter satis nutriti corporis œconomiæ dispensatione, quotidiana natiui caloris opera plurima colligerentur, quod sursum reperet minus esset: atq; omnino, vt a superis ad infera fluxionis occasio reuelleretur omnis. Non repetam iam quod ipsi Regi multoties dixi; parum nempe in eo cautos prouidosque fuisse minusque circumspectè illos egisse, qui nullo prorsus ad corporaturæ molem, nullo ad vitæ consuetudinem, nullo ad crurum imbecillitatem respectu habito, vulgarem Empiricamq; vitandi periculi rationem ac viam inierint eam, quæ, vt, vt prima fronte tuta videretur, Regem tamen in graue aliquod subitaneumq; incommodum maximè posset adducere: ac prudentiorum, rem ipsam acutius attentiusq; dispicientium iudicio, metus & periculi plena nec non longo artis vsu ægrorumq; obseruatione ac operum successu lubrica & fallax, iampridem cognita deprehensaq; fuisset. Aliud ingredi securius iter decuit: atq; aliunde fælicius occurri morbificæ causæ potuit, vt periculo subtraheretur æger. Verùm hæc & huiusmodi alia in eandem sententiam, a me inquam iam pridem dicta inculcataq; multoties, Regisq; adeô ipsius prudenti iudicio examinata approbataq;, nunc quidem frustra, sed non præter rem tamen. Ergò, dum molestus & naturæ grauis e visceribus ac vasis omnibus, in quibus ob insitam occultamq; Regis constitutionem (raro quisque quantumuis sanus non aliquem corporis partem imbecilliorem habet) nec non familiarem viuendi rationem, quibusdam incertis tamen, periodis temporum coagmentari exsuperareq; solebat, concitatior atque copiosior defluere, & quâ data porta confestim, natura propellente, suopteq; impetu ruere incipit, nec ex angustijs tamen illis foras vniuersus libere potest erumpere ichorosus & nonnunquam acrior humor: in

mor: in subiectas vicinasq; alias partes, per continua vasa intercutaneosq; cuniculos redundans, in dextra quidem coxa tumorem erysipelatosum identidem excitabat (a quo leuis & paucarum aliquot horarum febricula suscitabatur) in tibiam vero cruris eiusdem procumbens, altius ibi ac penitius impactus, Scyrrhosum atq; Elephantico appellato similem, cum dura, crassa, squamosaque cuti iampridem excitatum fouebat. Hinc totius dextri cruris grauitas, & motus tarditas, figendiq; pedis, ac sistendi gradus, quaedam nō obscura prorsus, quantumuis natura sua pudentissimus Rex aliud simularet, impotentia: atq; huius etiam rei causa iustae totius corporis exercitationis quae plus quam necessaria illi erat, sublata commoditas, & facultas omnis. Norunt quotquot ipsius Maiestatem tam domi quàm foris obseruabant, praeter illud tempus, quo equo vel curru vehebatur, minimam semper & ferme nullam diei partem stando incedendoue ab eo fuisse transactam: sedendo maximam: & eo quoq; situ, non rarò dextrum crus sublatum extensumq; in vicino scamno depositum: vt eius onere ac labore minus degrauaretur. Ad vitia igitur & commemorata eiusmodi mala, vel praecidenda, vel ex toto etiam depellenda, cum humoris illius impetum longius quam putasset, esse progressum serò nimis cognosceret nec obstructo Cauterio: factam iam atq; à se institutam & confirmatam spontineae fluxionis consuetudinem citra metum euidensq; periculum deleri aut interrumpi posse intelligeret, consilium (vt apud Comicum est) in causa mala, bonum, satis & necessarium Nicolaus Bucella cepit. (egerat hic antea in Italia merum Chirurgum: sed inde ante aliquot annos in Transyluaniam fugiens, ibi primùm elegantiorem alteram Medicinae partem, quod apud eiusmodi gentem facile cuiq;, se pro Medico venditanti licet, profiteri, ac tractare caepit.) applicandi dico, primùm apertae cuti ceratum aliquod, quod circumpositas etiam partes longè lateq; tegeret, ardorisq; alicuius ui prolecto humore, pustulas, aliàs verò, his disruptis aliud, cuius emplastica facultate inclusus coercitusq; sub dura, rubra exasperataq; cute, spirabilior sanguis, proindeq; hinc inde quaerendo exitum discurrens, partibus illis blande vellicatis, continuum ferme pruritum excitaret. Sic enim, neq; consolidari ex toto vnquam posse cutem: & vel spontè, vel fricatu scalpturaquè prolectam (in quo scalpendi dico munere mane ac vespere (toties enim tergebatur nouoqué emplastro ac mundis plagulis tegebatur, magnum sané illud vlcus) egregiè se Rex vnguibus exercebat) longè maiorem excrementi copiam, exhaustis vndique vicinis vlceri partibus, ac liberato tandem ea ratione vniuerso corpore, quotidie inde profluxuram sperauit. Neque fefellit eum spes: siquidem nulla ferme dies abibat, in qua partim sponte prodeunte, partim lacerata summis vnguibus cute, guttatim expressa extricataque sanie, quinque sex vel

Vlcus Regis in crure: in quo & Cauterium.

etiam

etiam plura diplomata, præter fascias & perizomata linea, vsquequaque inquinata non auferrentur. Vt si quotidiana impuritatum illarum copia (vni' dico diei tantum) per se ac seorsim pondere definienda fuisset, sextantem libræ, & quadrantem plerunque, nonnunquam verò etiam trientem æquare potuisset. Hinc, refuso nempe aliunde acriore humidioreque recremento, durior & adstrictior aluus: vrina parcior potuique minus respondens: plærunque verò, eodem quacunque occasione restitante ac in medio cursu subsistente, erysipelatosa coxæ inflammatio: aut etiam propulso interius musculorum thoracis, & partium respirationi seruientium, molestia: cuiusmodi ante biennium Grodnæ sua Maiestas in media ipsa æstate aliquandiu passa est: commoto denique ac per subcutaneas, & sentientes partes subinde delato, vellicatis punctisque musculis, nec non halitibus in cerebrum natura alioquin siccius eiectatis, (vt graues easque perpetuas curas mittam) breuis atque is leuis, & interruptus plærunque somnus. De cætero exhibebantur sæpe illius Maiestati Theriacæ scrupuli aliquot ex vino: nullo obseruato dierum vel temporum discrimine, nullaque corporis præparatione aut euacuatione præmissa: atque vbi pigrior semel aluus parum redderet, pruna duodecim circiter, decocto foliorum sennæ imbuta: a quibus tamen, quod ijs sumptis imminuta ad dies aliquot appetentia, cum cibi fastidio, ventriculus turbaretur, & irritis plerunque conatibus leuißime solueretur venter, abhorrere admodum Rex cœperat. Fricabatur quoque indiscriminatim, hyeme, vere, autumno, æstate, ferme quotidie vniuersum ipsius corpus, tam vespere a cœna quàm mane à somno, duriter satis, linteolis etiam ad id admotis bene calentibus, ad ruborem vsque cutis, tumoremque. Atque in hoc statu valetudo Regis fuit, hæcque illius gerebatur tum cura, (Authore Bucella) cum ego, ex aula Cæsaris accersitus in Poloniam veni, ac non multò post in Regium cubiculum ad quotidianam sanitatis ipsius custodiam fui adhibitus. Vt primum autem Regem videre, audire ac familiarius alloqui, deinde verò eiusdem corpus tractare manibus licuit, habitus ac temperamentum illius, viscerumque potißimùm interiorum status, cuiusmodi esset, ante omnia mecum attentè considerans: exin' obseruata diligenter, viuendi consuetudine: cognitis morbis quibus olim tentatus fuisset: circumspectéque animaduersis illis omnibus, quibus prætermißis, vix vnquam aliquid certó de præsente valetudine statuere, nunquam verò eiusdem curandæ iudicium rectè dirigere, atque confirmare poßis: denique verò, crure nudato, soluta deligatione, detectoque magno sane ac primo ipso aspectu horrendo cutis vlcere, Cauterioque, iussus á Rege, sententiam meam audiente Bucella, dicere: ex posita primum origine, causaque fluxionis illius, libere sane atque ingenue

Bucellana valetudinis Regiæ cura.

Iudicium Simonij & Valetudinis Regiæ curæ & Consilium.

dixi: Malum illud propter adiuncta pericula, & recensita superiùs incommoda, malum quidem esse, sed iam vtile, immò vero & necessarium; ferendumque patienter vel etiam ad extremum vsque spiritum esse fouendum. Neque enim inueteratam fluxionem eiusmodi, & in habitum uersam sistere, tutum: neque consuetam, & in quam facilè illa decumberent, prompteque propter loci imbecillitatem reciperetur, præcludere viam, naturamque adeo ipsam, quæ suum illac onus deponere iamdiu didicisset, dedocere facile. Non irritandam tamen; sed operam sedulò dandam, vt qualiscunque impuritas illa, parcior accumularetur; atque omnino nimiæ fluxionis occasio, commodiore aliqua victus ratione sensim opprimeretur. Et alioquin qui integra valetudine cōseruari vult, eum ad labores quidē impigrū, ad cibos verò sobriū ab Hypocrate desiderari. Propterea demendum cibi & potus quantitati aliqd: cœnam quandoque vel prandium intermittendum:

Victus Regis.

Fructibus quibus undique diligentissimè conquisitis & ex longinquis etiam regionibus compòrtatis asseruatisque (omnis dico generis vuarum, prunorum, cerasorum, persicorum, pirorum, malorum, melopeponum, nucum auellanarum, & iuglandium recentium, tribulorum aquatricorum, castanearum,) liberalius, intemperantiusque quam credi possit, a prandio ac cœna, toto ferme anni tempore uescebatur: Brassica item capitata cruda, tantumque ex muria (ut fit) condita: (illam comedere, hanc ex cochleario pro assaturæ condimento sorbere auidius consueuerat.) Raphano, qui fere semper, & quidem largior post duorum triumue generum fructus, statim sumptus, tam cœnam quam prandium claudebat, & alijs quibusdam, uel omnino abstinendum uel parcius, cautiusque aut saltem non præpostere utendum. De cætero, instituendam iustæ legitimæque exercitationis suo tempore obeundæ rationem aliquam, qua quotidie sensim, minutatimque collectus, quotidie quoque si non ex toto, saltem ex parte dissipatus, consumeretur, superuacaneus ichor: cum, & catharticis frequentius repetitis, id obtinere uelle minimè salutare, tædiosum, naturæque adeò ipsi sit ingratum: & simplex equitatio illa, qua uti consueuisset ipsius Maiestas, uectioque, quòd nihil aliud quam corporis molem, uniuersam fere quietam deferrent, ad reportandos necessariæ exercitationis vsus, minus uiderentur aptæ. In reliquis quæ facienda essent admouendaque, mutandum dicere aliquid, nihil tum quidem in illo priore seruitutis meæ limine, ausus sum: quotidianos deinceps, non inuisæ modò sed etiam inauditæ illius Bucellanæ Empiriæ successus; cum præsertim audirem, ex ea melius habere Regem; paulò diligentius obseruaturus: Assensus est, prudentissimus alioquin Rex consilio; sed non paruit tamen. Ergo singulis nouilunijs, & nonnunquam crebrius, molestum ut antea esse erysipelas: atque una nouæ fluxionis eò decumbentis accessione dextrum crus uniuersum onerari grauius: eiusdemque geminari

tumorem: qui eousquè persisteret, dum recens illapsa humoris portio sponte, uel molli adhibita frictione discußa euanesceret: abdominis moles crescere: molestia illa superiorum thoracis partium, nunc mitior & lenior, aliâs durior subinde recurrere. Atque hoc demum erat (masculo scilicet ac barbato Bucellæ iudicio) Regem alioquin sua natura benè constitutum, sanum, & ualentem satis habere melius. Nec propterea tamen in tota uictus ratione, frictionum administratione, Theriacæ, soluentiumque prunorum usu (bis tribus posterioribus subsidijs, ritè semper, ut solet, id est suo tempore, ordine, modo, præscriptis, additis sale Thericali, absynthij crudi esu, unguento stomachico, aqua Guaiaci, omne malorum Dæmonum genus, Bucella qui ex magistro Iohanne de Vigo, uniuersam medicinæ artem didicit, nullo negotio procul abigit atque depellit) mutatum aut remissum aliquid. Sequuta Grod næ post annum circiter, subsistente denuo per aliquot dies è crure humoris effluuio, æstiua ægritudo illa. Febris fuit, remittens aliquando, intermittens nunquam: cum siti molesta, musculisquè (quantum quidem ex situ & reliquis coniici notis poterat) cum Thoracem mouentium tertio, appellato Cane, tum uerò quartò hyoidis, aut certè capitis septimo, leui fluxione tentatis, cum sensu oneris & impedimento earundem partium aliquo, nonnihil deficiens ac expedita minùs, proindeque alto nonnunquam & suspirioso spiritu, identidem supplenda respiratio. Iustis adhibitis remedijs, tandem cessit morbus. Dum conualesceret Rex, cui iam soluentia pruna illa, essent inuisa, quærere ex me: inuenirinè aliqua ratio posset, qua, ubi urgeret necessitas, citra uisus, olfactus, gustus offensam, ac naturæ perturbationem, exigua potandi medicamenti copia, expeditè resolui posset aluus. Respondi: iampridem ex cogitatam ab alijs, atque inuentam infusionem acriorum Catharticorum ex aqua uitæ adiunctis ijs quæ malignitatem eorum retundant, atque una odoris gratiam addant: cuius drachma, iulapij uiolacei aut rosacei unciolæ admiscenda, uix cochlearij nostratis mensuram expleret: & gratus alioquin tamen oculis liquor, olfactui suauis, nulloque prorsus horrendo sapore palato infensus, blandè, ac leniter, cum duriora uentris recrementa, tum etiam è prioribus uenis, ac uisceribus obuiam quamquè impuritatum colluuiem è corpore foras eximeret. Parari statim eam iussit. Placuit semel experiri. Vbi sensit ex uoto rem successisse, paucis post diebus, me etiam maxime refragrante, potionem eandem, non minus quàm antea fœliciter iterauit. Ex eo facto, nec non ex recentis ægritudinis recordatione, commodam satis idoneamquè paulo accuratius cum ipsius Maiestate de ijs quæ mei erant officij atque ad illius incolumitatem pertinere arbitrabar agendi occasionem nactus: cœpi, ea qua par fuit animi submißione, Deum Angelosquè testari, non posse mihi rationem illam medendi probari, quæ & cum Artis nostræ uel primis ipsis cum Re-

AEgritudo Regis æstiua Grodnensis.

Simonius

 rudimentis,

ge agit de ratione conseruandæ ipsius ualetudinis.

rudimentis, & secum ipsa pugnaret: quæque ad suscitanda si qua subessent insitæ constitutionis tacita uitia potius, quàm opprimenda, accersendaque inclinantis iam ætatis mala, minimè uerò ad iustam retinendam sanitatem instituta uideretur. Senij, quod ipsum per se morbus esse quidam naturalis censetur, primum iam limen esse, si anni quidem numerentur, suam Maiestatem ingressam: sed si res ipsa spectaretur, iam prope egressam. Ingrauescentis magis magisquè atque inclinatioris semper ætatis, aliam quàm antegressarum ducendam rationem. Et illas quidem, egere quoque salubrium præceptorum obseruatione: sed nec tam facilè propter insigne robur, & caloris natiui maximam aduersus ingruentes intus forisquè noxas repugnantiam, damna ex erratis accipere: & cum acceperint, nisi peccatum insigniter fuerit, eadem sponte interdum sua, citò ueluti excussa deponere: priſtinæ sese suæ constitutioni restituentes. Sed in senecta, quantumuis cruda & uiridi adhuc, errata quamprimum detegere se, uel minima quæque: per quæ, ob natiuam debilitatem, attenuatumque uirium robur, metuenda semper magis ac reparabilia minus iuuebantur damna. Videret itaque ipsius Maiestas, ut senectam, quam pro natiuæ constitutionis, firmæque satis ab ortu ipso ualetudinis ratione, rectè consulentium partim inopia, partim contemptu, acceleratam citò nimis inchoasset, eam longè productu moriendi tempore, finiret tardius: aut saltem, ne multo ante iustum moriendi tempus, in subitum aliquod & improuisum uitæ discrimen ferretur præceps. Non esse salutaris artis præcepta, hæc: nullam aëris, qui subit ambitquè corpus, & locorum item quæ uitet, adeatve cum oportuerit, ipsius Maiestas, nullam prorsus habere rationem: Omnia hæc pro uenationum aucupiorum, piscationum commoditate seligi, quarum nullus unquam esset finis, nullusque prorsus modus. Vere, æstate, autumno, hyeme media, ante prandium, à prandio, summo manè, uespere, in meridiano eoque ardentissimo Sole, in umbra frigoribusque intensißimis acutißimisquè, ualido quantumuis perflante uento, asperrima glacie, altis, glomeratisque (ut apud. Poëtam est) turbine nimbus, squalido, puluerulentoque solo, cælo sereno, pluuio, nubilo, nebuloso, quotidie ferè, nullo temporum, nullo dierum, & iam prope etiam noctium discrimine, feras indefesso atque insatiabili studio, cum euidente sanitatis iactura quærere. Præterquam quòd non expleret hæc, exercitationis legitimæ ac necessariæ numeros, quæ non pedum sed uel equi lento molliquè gradu, & nulla ferme succußione laboreque nullo exercentis equitem, uel carpenti (quam uerè nauigationem terrestrem dicas) uel quod rarius fieret, currus beneficio tantum inchoata, integra deinde sex aut septem horarum quiete, in intimis densißimisquè syluarum receßibus, uestigatis (aliorum tamen opera & labore) excitis de stabulis suis, agitatisquè feris exspectandis tantum, ac facta sclopetto iacula-

VitaRegis non medica.

tione

stione interimendis, undique obsesso ac ueluti sepulto niuibus corpore, sedendo absolueretur. Moueri quidem nonnihil equitatione, ac uectione illiusmodi uniuersum corpus, & cum internas tum externas illius exerceri utcunque partes: immò uerò etiam, retinendam eiusmodi exercitationis rationem, quæ conditioni Maiestatis ipsius, ætatique conueniret? quamque sic affecto & ad incessum minus apto corpore ferre commodius posset: uerùm quia illa non in tempore, non bono more & modo, non iusta ratione, non conuenienter usurparetur, adiunctarum tot aliarum insalubrium causarum maleficio plus corpori auferri, quàm unius illius agitationis beneficio adferri possit commodi. Aduersus aëris iniurias in ipsa Brama, magno cum sanitatis dispendio, æque muniri pedes, operiri caput, uestiri corpus, atque æstate media; ut multoties, totum rigentem frigore, madentem pluuia, uel etiam sicco æstiuoque respersum, ac mire deformatum puluere, nihilique isthæc omnia tamen curantem, in Regiam ex campo redire, uidisse potuerint, quotquot incubiculo suæ Maiestatis frequentius uersari consueuerunt. Quapropter adhibendum in his rebus modum: ut cautius deinceps prouidentiusque omnia fierent; Non enim senem iam citra noxam insignem toleraturum, quæ minus nocuè tulisset iuuenis, ætateque florens. Frictiones item illas matutinas a somno (plærunq; tamen nullo) uespertinasque a cibo, siccas, calidas, duras, rubefacientes, ut a capite, atque a thorace deorsum reuellerent, nihilominus tamen, quia densarent ac durarent magis, magisque cutem; habitum corporis, qui extenuandus uideretur, ad summum usque carne implerent; crudum etiamnum alimentum in uenas indeque in uiscera, musculos, cutim attraherent, massam humorum exagitarent, uniuersamque adeò naturæ œconomiam turbatam inuerterent, plusquam iniustum esse corporei exercitij succedaneum? atque ad oppugnandam suæ Maiestatis, non autem tuendam sanitatem, ab Empyrico aliquo naturæ rerum ignaro ac rudi prorsus, contra omnium ueterum, neotericorumque præcepta, & praxin, institutum, substitumque uideri. Eadem fermè ex Theriacæ, non usu sed crasso nimium abusu illo, expectanda mala. Romanos olim Principes quosdam, & alios eius nationis homines, ad sanitatis tutelam non nisi cibis uacuos, (quorum alioquin prandium, aut modicum, aut nullum, cæna uerò simplicior, & parcior, quàm nobis erat) uel etiam proba per aliquot dies ante procurata coctione, atq; alui cura diligenter habita, singulis uel diebus: uel mensibus semel, tantum Theriacæ quantum Ægiptiæ fabæ magnitudinem impleret, ex aqua uel uino, aut etiam citra ullum liquorem sumere consueuisse: id quod à Gal. lib. de Ther: ad Pisonem atq; altero ad Phamphilianum, nec non lib. priore de Antidot: adnotatum fuisset: sed Maiestatem suam, ubi noctu minus quieuisset, ubi nondum confecto hesterno cibo grauaretur, ubi tribus ab inde horis liberaliori mensa

Theriacæ crassus abusus.

deberet

deberet accumbere, Theriacam ex uino sumere. Neq; continuò ubi firmetur aluus, aut uentriculus nonnihil langueat, ad cathartica, etiam leniora illa, confugiendum: quorum usus, cum maior tantùm ingruit necessitas quædam, isq; longo temporis interuallo, uel etiam tum demum, cum partis alicuius euidens malum inde oboritur, aut obortum increscit, sit admittendus. Præceptum Celsi huc spectare: quo cauetur ne in secunda ualetudine, aduersæ præsidia consumantur. Idq; non carere ratione. Turbari enim frequentiore illorum usu quocunque demum apparentur modo, naturam: cui semper illa ipsa sua, qua purgant, ui, aduersentur; segnioremquè ac tardiorem redditam, rarò deinceps nisi pharmaco prius irritatam, ad suum exequendum munus aggredi. Si quid crudi, si quid impuri, priores illas nonnunquam occuparet partes, id, ieiunio, uictus ratione meliore, iusta conuenienteq; exercitatione, somno, corrigi, coqui, consumi posse: uel etiam in aluum sponte deturbari solere. Deniq; verò, dormire tam hyeme quam æstate, apertis ferè semper cubiculi fenestris, & nonnunquam in porticu vix non sub dio, cute præsertim densiore, plurimum sanitati Maiestatis suæ incommodare. His atq; alijs multis in eandem sententiam, à me prolatis, permota ipsius Maiestas, omnino secum constituit, repudiata priore Empyrica illa custodiendæ sanitatis ratione, meliorem aliam ac tutiorem deinceps amplexari, excolereq;: imprimis verò, tertia cibi ac potius ordinarij parte resecta, prandere parcius, & nonnunquam ex toto cœnam omittere; id quod etiam re ipsa præstare, ab eo tempore voluit: eoq; successu, vt testari vnà mecum vniuersa poßit aula, Maiestatem suam integris prope duobus annis, id est ab eo tempore, quo consilijs melioribus obsecundare cœpit, ad postremam ægritudinem vsque, nihil vnquam aliud, tam, quàm sanitatis qua tum frueretur, integritatem, omnibus vltro prædicasse: imò verò, quoties ex aliquo sermone, in rocordationem salubris illius status incideret, interna quasi voluptate quadam gestientem, audientibus omnibus quotquot tum forte aderant, multoties clarissima voce dixisse se, iam, nisi cruris unius imbecillitas esset, non videre, qua parte corporis melius, olim iuuenis, quàm nunc senex valeret. Constabat appetentia: coctio felix: non fusa quidem sed nec firmata tamen aluus: nocturna quies placidior: erysipelas ferè nullum vnquam aut rarò, aliquod, & id exiguum visum; ingressus liberior: extenuata nonnihil cum vniuerso corporis habitu moles abdominis: integer omnium membrorum vigor, atque ad labores omnes facilius, quàm ante sustinendos habilior: continua, & copiosa satis fluxio cruris: in summa nullæ vsquam querelæ. Vt nisi Varsauiensis ille interuenisset casus, cum inquam, comitiorum anni octuagesimi sexti tempore, nocte quadam in lectum se collocatura, ac suas pro more tacitas ad Deum preces habitura ipsius Maiestas, flexum genu sinistrum, inæqualiore paui

mento

AEgritudo Regis Varsauiensis & Cracouiensis.

mento incautius positum læsit, (tensione siquidem illa nimia, subitaq; distortione, mobilis glandula quædam, quæ ibi cuti suberat, pressa, & suo loco mota, sese inter ipsos musculorum articulationis illius tendines, ac recessus momento insinuauit: vnde & motus cruris impedimentum, & eo restituto, paulò post Cracouiæ dum per altiores scalarum gradus in arcem conscendit, deq; eadem descendit ad templum, eiusdem partis nondum adhuc benè confirmatæ, ex improuisa fluxione tumor, octauo deinde a morbi die discussus) affirmare sanctè possim, mecumq; possint innumeri alij, totis his proxime elapsis mensibus plus minus vigintiquatuor, nunquam tantopere aliud, quantopere sui corporis vires ac præsentem, eamq; constantem firmitatem iactare, quoties quidem de rebus eiusmodi sermo incideret, auditum fuisse Regem. Sed nihil tamen, de nimium & plus quàm nimium magno (ne grauius dicam aliquid) atq; immoderato illo venandi studio, remittere vnquam aut vsquam placuit: quæ prima & potissima extremæ calamitatis nostræ occasio fuit. Quod ipsum, vt factum sit, ordine dicere iam aggredior.

Occasio AEgritudinis Grodnensis hyemalis, quæ postrema fuit.

Cum Grodnæ Lithuanorum esset suæ Maiestas anno 1586. accidit vt sub ipsum Brumale Solstitium, id est a vigesima quinta Nouembris, ad septimam & octauam vsq; Decembris diem, iuxta reformatum Calendarium, tanta ac tam acuta frigorum vis improuisò ingruerit, vt vel ijs etiam qui sub rigidiore asperioreq; illo cælo nati atq; educati sunt, esset intolerabilis. Nubilus perpetuò fuit obscurusq; ac tempestuosus aër: mira eaq; subita ventorum mutatio. Flauit aliquandiu primùm ab hyemali solstitio Argestes: inde validior Circius: à quo prægelida, eaq; densa sed minuta tamen nix vel potius niuosa grando. Paulò post Aquilo. Neque tanto tamen, ac tam horrido & repentino cæli rigore territus Rex, singulis diebus manè summo, & mox à prandio, in medios & patentes campos, munito nihilò melius quàm antea corpore, idest sericea, eaque simplicissima talari tunica, (supra quam Vngarica quidem penula sebellinis subducta pellibus assumebatur, sed quæ laxior nec adstricta contractaue ad Tunicam, imò verò longè ab ea latiusq; diffusa, minus fouere corpus posset) æstiuisq; femoralibus, ac tibialibus: capite tantùm non nudato, pileolo nimirum vngarico, aut leuissima Mitella tecto: pedibus cothurno, & simplici coriaceo socco fultis, de cætero nudis, ad lepores insectandos prodire: quo tamen tempore, reliqui tantam ac tam subitaneam hyemem vix duplicibus ac benè etiam subductis vestibus sustinere, non nisi autem calentibus hypocaustis inclusi arcere poterant. Vidimus tum aliquoties è campo, redeuntem ipsius Maiestatem, vsq; adeo pedibus, dorso, totoq; obriguisse corpore, vt ad luculentum etiam ignem, longa mora ægrè refocillari poterit. Hinc parcior inprimis fluxio, & cruris exulceratio siccior: adstrictoq; pectore, quæ pars ossea & cartilaginea est, spi-

ratio-

ratio subinde impeditior. Accidit autem singulariter, vt die secundo Decembris, qui uento, niue, frigore, asperrimus fuit, ad Aprorum venationem in Conginensem syluam exire decreuerit. Exijt ante solis ortum. Conginum (distat prædium hoc Grodna, iustis quinq; Lithuanicis milliaribus) non prius venit, quàm omnibus itineris hinc inde pererratis partibus, lepores vndiq; vestigari, immißisq; canibus, ab Aulicis duntaxat ministris aliquot citatis equis insequentibus, ipse in equo sedens, lentißimeq; progrediens Rex, capi, aut saltem pelli & fugari viderit: Substitit eo die in totum fluxio; quæ, vt diximus, ante dies aliquot parcior esse cœperat. Impendens ex ea re periculum, qui tum ipsius Maiestatem sequebar, iudicaui: ostendiq; malum illud, ex externi frigoris occasione, non aliunde natum. Respondit Rex, nolle se includi cauea: satis obsequutum in alijs, in hoc vno, vellè omnino genium sequi, & inueteratam consuetudinem retinere integram: nullum deniq; sibi ab ea re, quæ alias innocuè accidisset, metum esse debere. Sequente igitur die, qui tertius Decembris fuit, mane, sesquihora prope ante solis ortum, cum maxima parte Aulæ in syluam prodit, quæ Congino duobus magnis distabat milliaribus. Eò cum venisset, ipse cum paucis aliquot (vt consueuerat) familiarioribus sclopettarijs, certo quodam loco sedens, atque inter densos arborum hinc inde dispositos ramos latens, vt partim latratu canum, partim hominum vociferatione, de stabulis suis excitos, agitatosq; prætereuntes Apros sclopetto peteret, integrum diem consumpsit. Redijt Conginum secunda prope noctis hora: vespertinum scilicet matutinumq; aërem perinde atque meridianum cauere solitus. Vbi primum venit, dimißis reliquis me vnum ad se accersiri iubet. Accurro. Indicat sibi inter redeundum, accidisse insolens aliquid. Nullo (inquit) labore fatigatus, sedendo fere semper, & nonnunquam stando, venatus hodie sum Apros: in reditu tamen, dum carpento quiete satis ac placide, nullaq; cum succussatione corporis vehor, sentio me, subita illa quidem ac graui, sed non tamen vltra semiquadrantem horæ molesta Thoracis oppreßione quadam, ac spirandi difficultate correptum. Idem pro mei muneris officio intrepide repetij, quod inculcaueram antea. Malum illud omne, ab intempestiuis, inordinatisq; venationibus, contracta, densateq; appulsu frigoris cute, læsis Thoracis partibus, constrictis venarum oscillis, cohibita & compulsa intrò fluxione, quæ per vlcus expurgari quotidie consueuerat, nasci: metuendumq; aliquando, inclinante iam ætate grauius aliquid, nisi sibi in ea quoque re deinceps parcere sua Maiestas ac temperare vellet. Hinc nouitate symptomatis (vt ex vultu ac sermone facile apparebat) territo nonnihil Regi, fælicis venationis recordatione (ceperat enim Apros viginti circiter) aliarumq; rerum iucundiorum commemoratione, timorem omnem excutere exhilarareq; animum

Oppreßio ac Dyspnæa à frigore.

polui,

vel ui. Ex pulsu, cognitum subesse febriculam, igitur administrata manibus longa satis, ac molli totius corporis a scapulis ad pedes, Frictio: intereaq; temporis, applicata subinde thoraci, diplomata linea bene calentia: & eadem arte, partes extremæ calefactæ, nec non spina dorsi embregmate ex tepefacto vino lauendulato conspersa, & mox blande appreßis crebrò manibus fota, cœna parcißima, & prope nulla. Nox inde quieta. Sequente manè, iterata remedia eadem: quo etiam redire Grodnam Rex constituit, Eo die qui prædicti mensis fuit quartus, cæli rabies, & frigoris vis atrocius fermè quàm antea seuijt: verum oblita nihilominus ipsius Maiestas pridiani periculi, totum iter, imò verò & diem, venando consumpsit. Vespere, vbi rediisset, eadem quæ præcedente die vsurpata præsidia. Longiore semper tamen durioreq; frictione integrum crus dextrum, mane vespereq; exercebatur. Globulus item qui in Cauterium indi consuerat, euphorbij granis aliquot, simplicioris cerati alicuius interuentu illinebatur: dolorificoq; inde prurito excitato scalpebatur vel potius fœde lacerabatur, exprimebaturq; summis vnguibus cutis: vt fusa tandem hac arte agitataq; materia consueto antea impetu, deorsum allecta imo verò attracta ferretur. Sed frustra isthæc omnia. Vlcus enim nihilò inde humidius. Die quinta prædicti Mensis, qui fuit Veneris, parcius propter vsum piscium Rex pransus: nihilotamen minus post meridiem dum cum suis familiariter loquitur, leui quodam illius oppressionis insultu, qui mox cessauit, se prehensum sensit. Die sabathi, qui fuit sextus, proposui, adstrictiore præsertim aluo, lenioris alicuius cathartici vsum: ad subtrahendam impuritatem, quæcunq; demum latere in priore illa corporis Regione posset. Recusauit: sponte sensim euanituram molestiam dicens, quæ iam prope nulla esset. Enematum alias & Balanorum quorum vsus plus quàm necessarius in hoc affectu, erat, nomen, ne audire quidem citra horrorem atq; indignationem, toto vitæ suæ tempore potuit. Eo die cœna nulla: quæ in alijs quoq; tribus qui præcesserant, parcißima fuerat. Ex pulsu, tactuq; corporis, aucti natiui caloris deprehensa indicia nulla prorsus. Die Dominico, sedulò Maiestatem suam monui, ne intemplum equitaret, quod longius id ab Arce distaret: nec multò quàm antea mitior aeris constitutio esset: posse in arce concionem audire, sacroq; interesse, quemadmodum quoq; alijs profestis diebus consueuisset. Equitauit tamen. A sacro vbi primum rediisset, vt non nihil ab Aulicorum strepitu, interpellationibusq; respiraret, in suum cubiculum seceßit. Ibi recurrit malum: quod modico etiam temporis interuallo sponte receßit. Sequutum tenue prandium. Cœna quoq; præter tantillum panis vino insuccati persicorum pulpæ frustrum saccharo conditum, (persicatam Itali vocant) & pruna passa Damascena tria (quas Italiæ delitias Neapoli ac Genua sibi curari iusserat) nulla prorsus. Vbi aliquam

diu mecum vt in more habuit, de varijs rebus collocuta esset ipsius Maiestas, mustaq; aliquot ex Vngaria recens allata, & leuiter a se prius degustata, mihi ebibenda ex Chrystallino Cyatho manu propria benignißime porrexisset, contulit se in lectum, hora nona pomeridiana, id est, quarta noctis iam audita, præsenti satis animo, lætoq; vultu. Discesserat iam ante, dies aliquot ex aula, ad prædij sui res curandas Bucella. Franciscus quoq; Veselinus qui Ferenz alioquin vulgò nominatur, Regis, olim adhuc priuati, & nondum in dignitate Principis constituti, puer, factus iam opulentus, & ex tenui conditione ad summum authoritatis gradum momento euectus, Regem iam interdiu tantùm (pro dignitate nimirum sua) obseruare assueuerat, proprium noctu curans domi genium. Solus itaq; ego cum Stephano Lepscenio nobili Vngaro, cubiculari adolescente, nocte illa Maiestati suæ adfui, Qua iam decumbente, in hospitium meum quod erat arci proximū discesi: fessaq; diurno ministerio membra, lecto ad quietem imposui. Sub finem primi somni id est hora circiter septima noctis, quæ secundum medium horologium duodecima est, pulsari magna vi fores, meq; ad Regem subito acciri audio. Nulla interiecta mora, festinanter surgo: soloq; indusio & subducta ex pelle Toga tectus, in arcem aduolo. Venerat interea quoq; Ferenz ille de quo supra. Inuenio Regem, in lecto sedentem, crure vtroq; tecto, & gena dextra, quam μῆλον Græci a Mali similitudine vocant, summaq; fronte, quà capillorum radix est, lacerata cute, nonnibil collisa: facie decolori: vultu (quod facile dignosci potuit) nouitate casus attonito. Atq; ego quoq;, primo ipso inopinatæ rei aspectu, animo consternatus, vix non obmutui. Subridens tamen & quasi id nihil esset simulans, petij, ecquis tandem malus Genius, tam intempesta nocte, abrupto somno Maiestatis illius quietem interturbasset? Detege,

Vulnus Regis in coxa. *inquit, mi Simoni, dextrum crus. Detego. Ibi discissum vulnus inspicio, paulò supra genu, qua pars masculosa eminet, cruentum, obliquum, septem circiter digitis longum, in carnem vsq; tantum penetrans, ex incursione, vt deinde cognoui, violenta, contusum alioquin simplex. Effluxerat inde, magna sanguinis copia: qua subligaria linea, lodix, & quicquid ibi erat, longè lateq; madebant. Recognosco vulnus. Blandè hinc inde expressum, vt sanguis effluеret, qui aliunde confluens in vicinis partibus hæserat, detersumq; molli tomento, applicato coactis prius in vnum ipsius oris, enæmo, ex crudo oui albumine agitato, & concerpto implexoq; lineamento molliore excepto, exin superdatis plagulis lineis eodem liquore imbutis, nec non ad fluxionis impetum reprimendum, inflammationem arcendam, vindicandamque ab intemperie calida partem, illitis vicinis locis, circumducta demum fascia quæ labra vulneris ita adducta conseruaret, subiecta emmota cum plagulis firma contineret, furorem omnem fluxionis coërceret, obligo. Territam inde non,*

nibil

nihil Regis animum, extenuando malum quòd exiguum esset, quòd tutum, quòd periculum nullum facere posset, erigo atque confirmo. Hinc quomodo infortunium illud acciderit sciscitor. Audio, rem ad hunc habuisse modum. In ipso primo somno expergefactus Rex surrexerat, vt in Conclaue penitius, indeque in secretiorem ac priuatum locum ad requisita naturæ secederet. Inter redeundum, sensit primum sibi quasi exolui corpus, ac sensim deficere animum. Itaque dum ad lectum accelarato gressu festinat, ac prope ostium cubiculi venit, præcipiti virium lapsu, allisa ad proximum parietem, quo ne caderet inniti voluit, facie, atque vna ex violenta incursione dextri genu in acutiorem scamni, quod obuium fuit, angulum, accepto vulnere, in pauimento concidit. Casus Regis. Audito strepitu accurrit Lepscenius, qui Regem dum rediret, in cubiculo exspectabat. Exanguem ac semianimem voce excitat; iacentem, atque ad se paulatim redeuntem, apprehensum, vix tandem (non enim præsto aderat alter, qui auxiliares manus ad exsolutum corpus erigendum vnà porrigeret, humerumque ad baiulandum subijceret: ipse verò Lepscenius vnus tanto oneri sustinendo viribus impar erat) magno adhibito conatu, subleuat tandem, in cubiculum reducit, lectoque imponit. His auditis, locum viso, & ex sanguineis guttis aliquot recognosco. Tum ab ipso Rege quæro: vtrum aliqua alia corporis parte se læsum sentiat. Negat. Tactu pulsus deprehensa febricula: iubeo tamen denuo suam Maiestatem bono ac præsenti esse animo, seque ad somnum componere. Vbi dormiturientem vidi, discessi, (hora tum erat circiter decima noctis) vt ad sequentis diei curationem iusta subsidia compararem. Redeo summo mane, quod diei Lunæ fuit: Regem cum ipsa iam aurora experrectum, saluto: primum de somno, deinde verò an vllus in vulnerata parte hactenus esse molestus cæpisset dolor, interrogo. Placidè se quidem, & citra omnem doloris & molestiæ sensum, sed cum breui tamen vsura somni, quieuisse, respondit. Placuit tum in media luce deligationem recognoscere, nec dum soluere tamen. Nullo coxæ tumore, nulloque dolore sese monstrante, nihilo tamen minus, quô tutiora essent omnia, uicinas ulceri partes, oleò rosaceò tepentes unguine, hinc inde munio. In pulsu tamen, atque urina, non obscura prorsus indicia quædam feruoris ac turbationis internæ apparebant. Reliquias credidi has nocturni paroxysmi qui obseruari minus potuit. De cætero, quòd satis superque profluxisset, é recenti ac magno uulnere sanguinis, posthabita uenæ sectione, leniens proposui pharmacum. Sumpsit itaque Rex, mannæ selectioris, uncias plus minus quatuor, ab Angelo Koboit Pharmacopola suæ Maiestatis industrio acceptas, atque á me ipso, ita uolente Rege, ex iusculo pulli gallinacei, uidente: imò & adiuuante Ferenz illo Veselino (de quo supra & infra satis) é cuius culina allatum

illud erat, solutas. Exin, attritæ frontis ac genæ cuti, olei caphuræ quo nihil in eiusmodi vitijs citó emendandis est efficacius, guttam vnam aut alteram summa pluma exceptum illino: Victum præscribo tenuem: vinique illius tenuioris & subauster, quod Rex e Somlio sibi quotannis adferri curabat, propterea que domesticum, & quia nullarum prope virium, si cum reliquis Vngaricii conferretur, esset, Æstiuum appellare consueuerat, vsum concedo. Sequuta post horas sex, deiectio vna & altera pro pharmaci conditione, ventrisque pigritia, & tarditate, vtcunq; copiosa. Curatum vulnus hoc modo. Impletum maturante vnguine ex oui vitello, & terebinthina, conceptis linamentis excepto: tum superdato diplomate lineo, ex vino rubello austero, cui folia rosar. rubear. cum myrrhæ momento incocta erant, imbutò expressoque fascia conuenienter iniecta, sic vt oras vulneris obliquè comprehenderet, ligatum. Vicinæ partes illitæ ex oleo ut antea roseaceo tepente, munitæ. Ex attenta inspectione, tactu dorsi, laterum, thoracis, & aliorum corporis partium, propria demum confeßione Regis cognitum, nullam ex subito illo casu, internam aut externam aliam læsam fuisse partem. Prandium fuit constante satis appetentia pro uictus ratione acutis morbis conueniente, moderatum. Cœna parcior, Fricatum ut antea molliter corpus: fotæque partes extremæ, quæ fere semper frigebant. Et reliquum quidem diei quietum satis habueramus. Circa secundam tamen noctis horam, decumbens Rex, uisus nonnihil subitò pallescere, & ad minimum uixque animaduersum temporis momentum quasi animo defici, paulo post aridius os, partium Thoracis difficultas & oppreßio aliqua, pulsus citatior, nec ex toto æqualis, humoris in præcordijs efferuescentis exacerbatæque febris, quæ tamen non admodum se exerebat, certa dabant indicia. Quia hyems esset: quia Rex id remedij genus propterea quod angustiores, obscurioresque, ac densa cute tectas ueras, & alias quoq; flammulæ pulsu sed frustra á chirurgo petitas, haberet, minus libenter admitteret: quia sanguinis iusta satis ex uulnere fluxisset copia: quia febris adhuc latentis mores, malignitatem quandam potius, quàm vehementiam præseferrent, de uenæ sectione ad sequentem diem instituenda, ne cogitandum quidem esse duxi. Cathartico etiam uehementiore cum & eo die qui primus morbi erat, manna fuisset exhibita, & Asclepiadis præceptum, in eiusmodi potißimum casu, mihi sequendum esse iudicarem, abstinendum prorsus existimaui. Residuum noctis, quietum satis. Die Martis mane, ecce tibi Ferenz Veselinus, qui, non Cubicularij tantum, sed etiam medici officij munere pro summa sua omniscientia, fungi se rectè posse ac debere ratus, folia mali persicæ, ex saccharo á coniuge propria condita, domique asseruata, Regi offert, atque ad multa commendat. Constitueram iam, ut dixi, mecum,

nihil

nihil prorsus eo die mouere, uel etiam de reliqua curatione, prius decernere aliquid, quàm Tertij paroxysmi insultum obseruassem. Petenti tamen à me Regi, utrum sumere liceret ex illis aliquid, respondi: excalfacere quidem illa resiccareque plusculum, quàm iudicio meo requireret morbus: nihilo tamen minus, quia uiscerum obstructiones aperirent, biliosos pituitososque humores per aluum detrahendi, nonnullam facultatem obtinerent, liberum id suæ Maiestatis uoluntati relinqui. Sumpsit: sed exiguo ac prope nullo euacuationis fructu. A prandio primum Bucella comparet. Viso Rege: dicit, QVOD bonum esset, si faceremus insimul Collegium. Assentior. Secedi-“ mus in hypocaustum cubiculo Regis proximum. Audit ille à me totius morbi & præteritorum paroxysmorum occasionem, initia, progressum, mores. Sententia mea fuit: Mali illius Ideam ad illam ipsam esse referendam: quam Hippocrates lib. 4 de rat. uict. in acut. rudibus tantùm linamentis adumbrauit: sed Galenus in Com. ad Sent. 23. & 27. eiusdem libri, coloribus ac pigmentis illustrioribus additis, prope ad uiuum expreßit. Nimia frigorum ui, densata cute, adstrictis, occlusisque uenarum osculis, quotidianam ulceris (quod totis iam octo diebus fuisset aridum) fluxionem cohibitam: retroque pulsam, cum sanguine, non in cerebrum, sed in uenam cauam, & arteriam magnam affatim remeasse: ac circum præcordia copiosius cumulatam, in atrum crassumque humorem cuius uestigia in urinis ipsis apparerent, malignam etiam qualitatem quandam ex corruptione adeptam, uasis utcunque oppletis, interceptisque sensim concreuisse. Eandem per certas quasdam horarum periodos, noui humoris recursu auctam, concepto feruore turgere. Liberam inde Spirituum transcursionem impediri: transmissoque primum in cor maligniore halitu, momentaneam illam animi defectionem inferri: atque hac discussa, uapore craßiore qui & pulmonis arterias obstrueret, & septem transuersum distenderet, læsis iam alioquin per se ui eorundem frigorum respirationis organis, subsequentem, eamque diu perseuerantem, ac molestam dyspnœam & oppreßionem, sanè in tam graui, atque obeso corpore, tantaque uenarum angustia periculosam inuehi: nec non occultam atque internam, unà suscitari ac foueri febrim, quæ lypiriæ mores referret. Syncopim Asthmaticam, à nonnullis hanc fuisse appellatam: per quàm (dico) nullo pulmonum infarctu, sed subita primum interceptione spirituum, quorum opera partes respirationi seruientes mouentur: deinde uero crasso eoque copioso ex craßi atrique humoris lenta quidem sed continua efferuescentia uapore in pulmones & diaphragma lato, metuenda illa oppreßio, nunc asperior, alias pro causæ nimirum morbi fixæ copia, commotione, feruore, mitior induceretur. Si quæ præcesserunt, ingentium acutißimorumque frigorum

Sententia Simonij de Regis ægritudine.

 occasiones,

occasiones, si tam natiua quam adscititia corporis constitutio, familiaris uiuendi consuetudo, tempus anni præsens, Regio, cæli status, morbi & symptomatum mores, nocturna illa exacerbatio, pulsus, urina, & reliquæ circumstantiæ, stata præsertim iam per dies aliquot, quotidiana illa cruris expurgatione, in consilium admissæ ueniant: uix de affecta primariò sede, affectu qui in ea consistit, continenteque eius causa, certius aliud quippiam, meo quidem iudicio, statui posse. Huc accedere, quód ipse Rex, hypochondrijs ac præcordijs propria subinde manu monstratis, palam nobis indicaret, ibi latere malum omne: illaque una parte, adferri sibi peteret opem. De cætero, acutum morbum non carere periculo: de quo etiam tuto nihil præsagiri hactenus posset. Nihil itaque cunctandum; sed agenda in tempore, quæcunque recta dictaret ratio, ac monstraret Ars. Effluxisse sanguinis satis è uulnere priore paroxysmo: leuitam aluum, antè insultum secundi, qui fere quoad animi deliquium, nullus fuit: iam aptis iustisque præsidijs à quibus Rex minimé abhorreret, præparandam materiam: craßitiem illam sanguinis attenuandam (uideri enim iam atri humoris naturam referre) malignitatem retundendam: muniendum cor antidoto aliqua: feruoris occasionem, cum subtracta illi materia, tum uerò internis partibus moderata refrigeratione temperatis, opprimendam: demum pharmaco aliquo, aut si grauius aliquid urgeret, etiam scalpello quicquid intus collectum esset impuritatis, educendum è corpore: sed præter cætera, sedulò id unum procurandum, & acriter instanterque modis omnibus urgendum, ut, inquam, ad ulceris locum, quotidiana illa fluxio quæ iam integris prope nouem diebus intus remorata, malo initium dedisset, continensque dici eiusdem causa posset, impetum denuo suum conuerteret omnem. Delatum enim ad crus humorem, intrò compulsum, indeque in uiscera, subitò interemisse hominem, iam sæpenumero uisum. Vnamque ideo spem superesse salutis: si fieri posset ut ad crus denuò reuelleretur: quod ipsum quoq; Galenus 2. Comm. in lib. Hip. de natura humana testatus esset. Regem à Syrupis, apozematis, alijsque istiusmodi officinarum ingratis iusculis omnibus abhorruisse semper. Alimentis itaque medicatis, & Frictionibus, quas in eiusmodi ægritudine Galenus allegato lib. 4. de rat. vict. in acut. com. ad Sent. 28. fomentis etiam ipsis ab Hippocrate commendatis, præponeret, prioribus illis indicationibus, iam fieri debere satis: de reliquis uerò, in re præsenti, commodius certiusque suo nos tempore deliberaturos. Ergo, uinum, quale descripsi antea, idque iam, si uideretur nonnihil dilutum, Regi concedendum: iuscula quæ syruporum uicem supplerent ex gallinaceis pullis, uel perdicibus, uel uitulina uel agnina carne cum folijs ac radicibus petroselini, & limoniorum taleolis multis, caryophyllorum crocique momento

mento coctis, apparanda. Posse quoque utiliter addi aliquid rosmarini, saluiæ, melissophilli: cum nihil aliud in hoc præsidiorum genere, his in locis haberetur, quod ad rem faceret, Regisque adeo ipsius, hac quidem in parte, ut & in omni victus mutatione difficiliori morosioriq; arrideret genio. Atq; istis alioquin ipsis, ad craßitiem humoris extenuandam, incidendamq; vel etiam per halitum digerendam, ad respirationis vias dilatandas, ad vicinarum cordi venarum, & arteriarum infarctus, vitali spiritu liberius permeante recludendos, ad roborandum cor, hilaritatemq; propterea discusso mærore inducendam, nihil, siquidem præsentis temporis, ac loci, nec non morbifici humoris, id est craßi atriq;, demum verò Regis ipsius palati, morum, victusq; totius, consuetudinis ratio haberi deberet aliqua, inueniri aptius efficaciusq;. Licere quoq; nunc quidem initio morbi ex commemoratis carnibus elixis, vel etiam ad placandam vtcunq; Regis appetentiam aßis (assaria nunquam carere in cœna & prandio Rex poterat) dare aliquid: vt & prunorum damascenorum, cerasiorumq; dulcacidorum passorum ex vino coctorum, adiecto sacchato, aliquot: ita tamen, vt in progressu morbi, sensim ad vigorem vsq; tota victus ratio tenuior institueretur. Eiusmodi victus rationem, AEgrotis ita natis, educatis, assuetis, illa anni constitutione, eo tempore, sub Aquilonari hoc cœlo, tenuem satis esse: ac Italorum, Gallorum, Hispanorumq; (quos eo quidem nomine irridere consueuerat Rex) ptissanæ cremori, aut succo, pani loto elixoq; & alijs istiusmodi, aptißimè respondere. Interea fricandum quoque opportunè corpus, adhibitis linteis calidis, (sed exulceratum crus diutius, duriusq;, vt quæ se intrò receperat, eò quod etiam antea commodè atque vtiliter ferebatur, morbifica materia denuo traheretur) fouendasque ijsdem extremas partes: vt eò fluxilior vndequaque redderetur humor. Respondit ad hæc Bucella, vt solet atque vt potest, paucis. Quòd ipse quoque esset de eadem opinione, in quantum ad morbum, & causam morbi: & quòd consentiret etiam in intentione curatiua: sed quòd oporteret videre parum quid faceret morbus in illa nocte: postea iterum venire insimul, & iterum collegiare, & ordinare omnia, quæ erant ordinanda. Ita curato vulnere dies abijt ille. Paulo post Solis occasum, fricato Regis corpore, vbi quietiora videbantur omnia, cibus exhibitus: isque vtrum iuxta præscriptam antea rationem paratus, nescio. Quo minus autem scire licuerit, causæ quæ fuerint, infra suo dicetur loco. Qui pridie ad multam usque noctem, eoque toto die stando, decumbentem Regem obseruaueram, circa tertiam noctis horam in hospitium discessi: Bucella in arce apud ipsius Maiestatem relicto, qui suas quoque in eo munere partes ageret. Sed hora sexta, denuo accersor. Aduolo. Audio surrexisse paulo ante Regem de lecto, atque eodem quo ante biduum,

paroxismo

paroxiſmo prehenſum, mox tamen liberatum. Iacebat in lecto ipſius Maieſtas, cum veni, ſuſpirioſo tantùm anhelitu, ac præcordiorum anguſtia nonnihil preßa. In pulſu iam acrioris febris indicia certa: inæqualitas, cum non obſcura, quæ poſtea toto morbi tempore durauit, & cum eodem morbo euidentius ſeſe monſtrauit, intermißione: calor ad cutis tactum, non admodum magnus: ſitis nihilominus aucta: extremorum frigus: quod ferme in tota ægritudine perpetuum eſſe diximus. Hic Bucella petit à me, vt ſecum paulisper ſecedam: indicans eſſe de quibus mecum conferret. Sequor. Audio. Summa Orationis illius hæc, atque his ipſis verbis expoſita, fuit. Placere ſibi quod antea dixiſſem, de morbo ſuæ Maieſtatis atque intentionibus curationis: videri tamen, quòd ille caſus, non eſſet ſyncopa, ſed quandam ſpeciem de Epilenſia, cauſata, per conſenſum, à materia melancholica, aſcendens de ſubtus in ſupra: & tanto magis, quod Rex ante duodecim annos in Tranſyluania, quaſi de ſimili morbo ægrotaſſet. Ideo ſequente die (fuit is Mercurij decimus nempe menſis, tertius morbi) ſecundum ſuam opinionem deberi dari ſuæ Maieſtati medicamentum purgantem: qui bene euacuaret per infra: & faceret multas ſedes: quia ſua Maieſtas eſſet corpulentus, & haberet corpus multum plenum. De vino autem quod non deberet dari vnam guttam: quia cum ſuis fumoſitatibus vadit in ſurſum, implet capitem, & in epilenſia non datur. Et propter hoc, quòd melius eſſet aqua Cinnamomi. Et de croco etiam, quòd non eſſet bonus, quia quando debilis eſt caput, ſemper boni medici crocum vetant.

Sententia Bucellæ de Regis. AEgritudine.

Reſpondi: Nihil quidquam certi de tertio quidem illo inſultu, qui paroxyſmi febrilis, & ſuſpirioſæ oppreßionis, præteritorum inſtar, prodromus fuerat, mihi affirmare licere: ſed profectò nec priorem, quantum ex minuta Lepſcenij narratione cognoſcere potuiſſem, nec alterum me præſente, diligentißimeque quicquid Regi accideret attendente, animauertenteque Comitialem fuiſſe. Ad vinum quod attinet videret, quid ageret. Nam cum id cam morbi, ac fomitem, huiusque ſitum, eundem mecum ſtatuerit, Regi (cuius viuendi ratio aliàs cognita, perſpectaque iam eſſet omnibus, quique vinum meracum, & id quidem generoſius bibere iamdiu conſueuiſſet) primum iam ſenium ingreſſo, idque vnum petenti appetentique, regione gelida, conſtitutione Aquilonia, hyemali tempore, non admodum moleſto febrili æſtu, crudiore craßioreque morbi cauſa, nulla capitis querela (imo verò ægrè ferente, grauiterque indignante ipſius Maieſtate ſi quando à nobis de grauitate vel dolore capitis aliquo interrogaretur.) nulla vrgente viſcerum inflammatione ſomno trium noctium parcißimo, eoque interturbato, uiribus non obſcurè iam in horas flacceſcentibus, quamobrem uinum, tenuius id ſaltem, aut (ſi placeret) id etiam ipſum nonnihil ex aqua dilutum, denegari

Cenſura Bucellanæ ſententiæ.

deberet,

*deberet, causam me videre prorsus nullam. De validiore purgatione decer-
nenda, vt consentirem, vna illa me cogitatio mouit: quod etiamsi morbifi-
cus humor minus fureret, atq; in vna corporis parte potius congeri deside-
req; videretur: attamen, quia loco illi, quantum quidem conijcere liceret, non-
dum tenaciter adhæsisset, præterea verò si non perfectè aliquo tamen modo
(siue graduum, siue partium ordine id factum putaremus) partim inedia,
partim ipsa victus ratione, frictionibusq; ac fomentis coctus (vt quidem
vulgus medicorum loquitur) videri iam posset: pars ipsius aliqua vt quic-
quid a purgatione residuum superesset, facilius, celeriusq; domaretur, detrahi
tutò ac salubriter posset: vel etiam quia, etsi absolute crudus, adhuc esset,
nihilo secius tamen, in ancipiti morbo, cuius symptoma horrendum, exitus
verò minimé tutus haberetur, ne deterior euaderet, vel laborantem ante mor-
bi statum iugularet, prudentiorum modicorum iudicio & consensu, nonnihil
eius, cathartico vehementiore (vt ex Hipp: præcepto, extremum extremo
morbo remedium adhiberetur) constantibus præsertim vtcunq; etiamnum vi-
ribus, in morbi principio atq; incremento, ad naturæ ipsius imitationem demi
omninò deberet.*

Etiam absolutè cruda morbifica causa, Cathartico locus est.

*Interfuit colloquio nostro, vel potius præfuit, fidus Bucel-
læ Achates Ferenz Veselinus ille quem multoties iam nominaui. Is itaq;, iu-
dicium suum quoq; (masculum scilicet, circumspectum, graue, vt norunt om-
nes) interponens, Bucellæ sententiam approbauit: vinumq; Regi deinceps
interdictum pro sua authoritate, imò verò & maiestate voluit: ea potißimum
ratione producta: quòd olim Regis soror, cum pleuritide in Transyluania
laborare. (Bone Christe, quorum tu manibus ac fidei, tanti Regis vitæ custo-
diam curamq; commisisti) viniq; appetentia detineretur, eo degustato, paulò
post interijsset: & alias. AEgrotantes, in noxia quæq; appetitu ferri consue-
uissent. Me itaq; repugnantem, impendens iam, accelerandumq; eo modo, ar-
canum illud & ineuitabile Optimi Regis fatum, vicit.*

Vino id est vita interdictum Regi.

*Præscribitur ergo
Bucella ipso dictante, Catharticum sequente mane offerendum, ex drachmis
duabus pilularum cocciarum & granis plus minus quatuor extracti helle-
bori, vna dissoluendis (hac enim apparatum forma, & non alia sibi exhiberi
voluit Rex) ex aqua lauendulæ cum aquæ cinnamonij tantillo. Vini loco,
pro potu, eiusdem consilio, aqua decernitur, in cuius libra vna, cinnamoni
vncia, (obseruent hoc medici, & misereantur fortunæ Regis.) maceranda
esset: addito ad gustum sacchàro. Tota illa nocte, somnus leuis, isq; inter-
turbatus, a quo nec vires resurgerent, nec leuamen sequeretur vllum: pulsus
manifesté intermittens: oppreßio thoracis molesta. Cum itaq; mane potio-
nem illam, horrenda odoris ac saporis insuauitate concussus Rex, vno gulæ
hiatu haurire voluisset, non potuit tamen. Residuum itaq;, detersis iam e gu-*

la & faucibus, deiectisq; austero vino, reliquijs, exhaurire noluit. E apropter, vtilis quidem, sed obscura tamen & leuiter conferens, inde sequuta purgatio est. Deiectiones, non copia æstimandas esse, rectißime Hippoc: docuit aph. 23. lib. 1. Ergo, quia cum fecibus, crudioreq; illa colluuie, quæ in intestinis & circum mesentericum exuperabat, atri humoris qui morbi fomes erat, deiectum est exiguum aliquid (huc spectat illud Hippocratis: Qualia deijci oportet etc.) non magnopere se ex eo leuatum Rex percepit. A purgatione, exhibita ptyssana integra sorbilis, & iusculo carnis: qui alioquin gratus per sanitatem ipsius Maiestati cibus erat. Atq; hactenus quidem haud malè. Exin apposita, nescio cuius consilio, assaria bouilla: datum præterea Vngaricum subacidum iusculum, nescio quibus ex rebus in Culina eiusdem Veselini paratum. Petenti mihi quid illud esset, satis esse debuit, ab eodem & medico, & coco, & cubiculario audiuisse: habere id in more Vngaros, vt eiusmodi tam gratam quàm salutare ferculum suis offerant ægris omnibus. Postremò coctorum vt ante diximus cerasiorum, aliquot sumpta cochleari 4. Potus atq; is vrgente acrius, quàm vnquam antea siti, liberalis, Aqua. Dyspnææ consultum me authore, cucurbitulis, lumborum potissimum partibus, ad quas Diaphragma peruenit, & pulmonis portio, subinde applicatis: vt mali causa, promptißime reuelleretur, vespere parcior cæna: eadem aquæ potio toto etiam die copiosa. Suppurans impositum vulneri: quod alioquin (vt cum Celso loquar) purum, tutum, nulloq; subiectum periculo erat. Vires in horas languidiores. Hora circiter noctis tertia, nouus paroxysmus: (erat is quartus) eadem cum animi defectione: extremis summisq; partibus corporis frigentibus, fronte ac temporibus, frigido sudore madentibus: facie pallente, pulsu rarò, obscuroq;, nulla uel minima conuulsoriæ motionis nota, comitatus. Accurrit Bucella, cum vase ligneo, aquæ gelidæ pleno: qua immergit Regis brachia, eiusdemq; faciem inspergit (legitima scilicet artificiosaq; fuit hæc Epileptici suscitandi ratio) accurrit & Ferenz Veselinus: qui Regis caput transuersum sinistro brachio comprehensum, quasi e corporis trunco euulsurus, hinc inde mirandum in modum succutit atq; contorquet: dextra verò manu Regi quasi sibi nihil esset, confusa uoce significanti: ac recusanti, imò uero & manibus ipsis à se procul arcenti, diductis per uim mandibulis, quas Rex ipse volens contrahebat, aquam cinnamomi stillatitiam in os indit. Accurro ego cum Lepscenio, linteisq; calentibus artus foueo. Vbi ad se rediisset ipsius Maiestas continere me non potui, quin Ferenz Veselinio in os dicerem: modum illum Asinis aut Bobus, quàm hominibus & Regibus exsuscitandis aptiorem esse: plusq; importuna & barbarica illa immanitate (non humanitate) exasperari, quam leniri malum: permitteret

Epilepsiæ obnoxijs, aqua frigida in faciem inspersa, omnium iudicio noxia. Bucella tamen, hoc remedio suos Epilepticos recreat. O secula.

teret ista medicis, ipse quæ sui essent officij, ea curaret. Fuit, vt dixi, quartus hic insultus: qui secundo cum molestiæ leuitate, tum aceßionis hora respondit: tertio & primo mitior (quod tamen non ex periodi ratione, sed ex aquæ vsu accidisse, Veselinius à Magistro Bucella edoctus dictitabat) nec ipse in decimam quadrantis horæ partem, aliorum instar perseuerans. Sequuta tamen anhelosa illa oppreßio grauior (atq; is demum verè aquæ fructus erat) tota prope nocte citra magnam corporis æstuationem molestaz & continua alioquin febris, nouo paroxismo exacerbatior. Hic vltro Bucellam placidè compello: vrgeoq;, vt qualem nam tandem epileptici morbi notam, in quarta ista acceßione potuisset animaduertere, mihi quoq; qui nullam deprehendissem, indicare vellet. Respondit: Quòd non dixerit, quòd illa esset Epilensia perfecta, sed quandam spem de Epilensia. Et quòd cognouit ante multos annos vnam mulierem (multa ille vbiq; & semper eiusmodi exempla in promptu habet, quæ ex plenipotente marsupio suæ phanthasiæ, ad empiricos quosq; Quodlibetos suos bona fide confirmandos, promere consueuit) quæ per aliquot vices, quando sedebat, & faciebat, aut laborabat aliquid cum manibus, ita paulatine ac paulatine quasi dormiret, cadebat cum capite super mensa, sine vlla tremolatione membrorum: & postea post paruulinum tempus, iterum resuscitabat, quasi si non haberet nihil. Excepi ego: non inficiari me, ad Epilepticum affectum, reuocari quoque soporosum alium, quo, vt Cælij Aureliani verbis vtar, nullo raptu, atque contractu nullo corporis apprehensi, subito in somnum deueniunt; sed Regis morbum, natura sua, & adiunctis symptomatis, longißime ab eo differre. Deinde, esse quidem qui prohibeant, sed esse quoque qui concedant, in perfecta Epilepsia vinum, quanto magis in leui; Tum audiente Lepscenio, disertè ac palam testatus sum Deum, illiusmodi curandi rationem, quæ secum etiam ipsa pugnaret, in certum uitæ discrimen adducturam Regem, cui maxime opitulari vellemus, Vires aquæ vsu attenuatas, impetum morbi si quis grauius deinde ingrueret (fuit hoc tum meum præsagium, ita mihi familiæque meæ sit propitius Deus.) minime perlaturas, Materiam morbificam inde craßiorem, minusq; fluxilem, & pertinaciorem, morbumque adeò ipsum erudiorem reddi: abdomen impleri ac distendi. (de quo etiam Rex ipse nobiscum conquerebatur) non vrinam promoueri, non sudorem prolici, non conciliari somnum. Et sanè uelim hic paulò eruditiores omnes istius Empiriæ peruersitatem mecum paulisper expendere. Epilepsiam esse contendit Bucella: & epilepticum tamen excitat perfusione frigidæ: nutrit aqua cinnamomi (cuius dico singulæ libræ, cinnamomi vnciam acciperent) qua tamen non minus quàm uino, quia non minus quoque tentet caput, abstinendum, præter cæteros,

Repetit sententiam suam Bucella.

Censura repetitæ sententiæ Bucellanæ.

Artificiosa & sibi per omnia constans medicina Bucellæ.

Crocum quiprius sumit, crapula eum non tentari scribit Plinius. Tantum abest vt caput ualde grauet.

ros, Rondeletius censuit: nutrit petroselino, cuius usu a schola tam græca, quàm Arabica, & Latina interdicitur comitialibus. Vicißim croci modicum usum reijcit, à quo citra capitis grauitatem omneque incomodum, multa expectari, præter commemorata prius commoda poterant: concoctio, inquam, crudorum fælicior, aucto natiuo calore: robur ventriculi ac iecoris: urinæ promotio: somnus: cibi appetentia. Affectum, quem non esse perfectam Epilepsiam, sed habere tantùm aliquid Epileptici, confitetur, uini tenuioris, eiusque etiam nonnihil diluti, usu priuat: quem tamen Græci, Arabes, Itali, Galli, Angli, non ignobiliores Artis Medicinæ professores in uera & absoluta permittunt, imò uero etiam præscribunt: id quod ex Aretæo lib. 1. de morb. chron. cur. Cap: 4. AEgineta lib. 3. Cap: 13. Auicenna lib. 3. fen. 1. Trac: 5. (qui certè non sub Arcto sed sub Austro potius medicinam fecerunt) Leonardo Ioachimo ad lib. 10. Rhas. Cap: XIIII. Nicolao Massa Epist: 12 Theodotio Epi: VI. Manardo lib. 13. Epist. ult. Arnaldo Villanouano qui ante trecentos annos uixit lib 1. breuiar. cap 22. Iacobo Syluio, in sua cur. Meth. Valeriola. lib. 4. obs. 6. Fontanonio lib. 1. de morb: inter cap. XV. Gilberto lib. 2 prax: & sexcentis alijs (paucos enim quos ad manus habui, eos nunc adduxi testes) cognosci potest. Hi enim omnes, vinum album, tenue, clarum, odoriferum eo potißimum nomine, quòd vrinam moueat, uel austerum, defæcatum, vetus, uel citrinum, aromaticum, aut alias calidum, assuetis potißimum eo citra capitis aut ventriculi noxam vti ad crudorum præsertim & morbificæ causæ fæliciorem coctionem facilioremq; dißipationem, simpliciter nominant, nullaque addita restrictione in Epilepsiæ curatione proponunt, & nusquam nisi valde vetustum, crassum, meracum, multum, damnant. Verum ad rem. Eo primùm die qui Mercurij fuerat, a prandio, vbi Regis pulsum obseruassem, vrinasque turbidas ac minimè subsidentes inspexissem (cuiusmodi deinceps ad finem usque morbi persliterunt.) Ferenz Veselinio dixeram: Regis morbum, haud carere periculo: videret itaq; ut sibi æquè animam atq; corpus Regis (ipsißima hæc mea fuere verba) charam & commendatam esse, pateretur. Eum saltem ad ipsius Maiestatem accersiri atq; intromitti curaret, qui alicuius aliûs ægrotantis memoriam atque imaginem dexterè ipsi proponeret, vt vnà præsentis periculi cogitatio, vltrò subiret. Responderat, nihil ista ad me pertinere: Regem nolle (de qua tamen uoluntate, nihil mihi unquam constare quicquam potuit) ad se ingredi quenquam. Eodem etiam die mane, Rex ipse Reuerendißimo Premisciliensi Episcopo Regni Procancellario dixerat, urgente quantumlibet ægritudine, nulla se alia re præterquàm quod a Medicis (a Medico uel potius a non Medico

Vinum in Epilepsia

Simonius die Mercurij Veselinio indicat Regiæ vitæ periculum.

dicere

dicere rectiꝰ potuit) uino sibi interdictum sciret, angi & sollicitum esse. Ergo nox illa, quæ diem Iouis præcessit, inquietior, quàm unquam antea: neq; unius horulæ somnus in ea captus. Virium iactura in horas atq; horas maior, & oppreßio grauior, durior, constantior. Nullus alioquin a uulnere metus: curatio cuius fœliciter procedebat. Manè quod inquam diei Iouis fuit, placuit Bucellæ Regi exhibere castorei scrupulos, credo duos, ex aqua hysopi, lauendulæque solutos. Quo id consilio fieret, intelligi facilè potuit. Dixi itaque non eiusmodi, sed aliusmodi iustioribus præsidijs esse opus. Regem his nugis uexatum, fastiditurum deinde necessariora remedia reliqua. Præterquam quod siccaret Castoreum calefaceretque uehementius, quàm è re nostra futurum esset. Bezoaris potius aliquid, cum nihil aliud ad manus esset, ipsius Maiestati dandum: cuius granorum decem, uel duodecim usus, aduersus omnes qui ab atro humore pendent morbos, cordisque affectus, mirè commendetur. Datum tamen Castoreum. Pulueri Bezoaris, commodius aliud destinatum tempus. Ibi tum ego cum Bucella seorsim ago: uidere ualetudinem Regis, in peius ruere atque in magno discrimine positam, aucta iam siti, uigilijs continuis molestè exercentibus, oppreßione acrius indies urgente, uiribusque deniq; in horas magis magisque flaccessentibus, ad extremum properare. Consulendum itaque, si quid funestius accideret, æternæ saluti Regis primum: deinde uerò etiam nominis nostri dignitati, existimationique. Pridie quidem ea de re admonitum à me Ferenz Veselinium: sed frustra. Videndum itaque ne ipsius nimium & plus quàm nimium supina negligentia, nos quoque perderet. Accersendum Regis concionatorem: deinde uerò aperienda fideliter omnia Regni Proceribus, neque cunctandum diutius: satis illos esse nostro, id est nobis à Ferenz Veselinio, & quidem minaciter, imposito silentio, aut falsa eodem Authore suggerente, narratione delusos: satis uerborum ipsis datum. Respondit Bucella (atque ita tum cum respondisse, æternum, ac imposterum & mendacium omnium uindicem Deum testor). quod Veselinius esset per suam naturam de nullo iudicio: inuidiosus, inflatus, superbus, multum in sua fortuna confidens: & quòd quando Rex fuit sanus, non sciuit, nec uoluit unquam sibi facere unum amicum: etiam si ipse illi diceret semper, facias tibi de amicis, facias tibi de amicis, quia posset uenire tempus, quando tibi oportebit habere amicos: ergo, quòd etiam nunc quando Rex est moribundus, non deberet sperari, quòd ille deberet esse in rebus suis paulò plus sapientiorem. Tamen, quòd multum sibi placeret: ut quando ipse non uidebit, & uadet hîc illic per cameras & anticameras Regis, ego exirem foris de ostio, & Domino Vicecancellario Regni, totum fideliter ad meam discretionem dicerem. De Theologo uerò,

Simonius die Iouis, cum Bucella agit de accersendo Theologo & indicando proceribus Aulæ periculo Regiæ uitæ.

Bucellæ responsum.

„ rò, se nolle curare: quia ut ego benè scirem, ipse non esset de Religione Romana; sed de una, multum contraria & differente ab ea. Vix dicendi finem fecerat Bucella, en tibi Ferenz Veselinium: qui ubi nos colloquentes, vultuque turbatos, ac solito tristiores animaduertit, aliquid suspicatus: certam nobis spem facit, uenturos mox in arcem Senatores Regni ac Magni Ducatus aliquot, quos ipse non quidem in Cubiculum Regium, sed, in aliud, ab eo semotum longius, admissurus esset. Eosdem ex nobis de ualetudine Regis minutius percunctaturos; nostri uerò esse officij, simulare, ac fucata aliqua facti narratione, qua neque præsens, suæ Maiestatis status, neque origo ægritudinis intelligi ab ipsis posset, respondere. Tum ego statim, Ageret, diceretuè Bucella quicquid è re sua esse putaret: me certe neque Deum neque fidem Regi atque ipso iam extreme laborante Reipub. Polonorum debitam, ullius causa nunquam, multo etiam minus in tanti momenti negotio proditurum. Atque ita ab eis ad Regem discessi: Quid præterea Bucella decreuerit, neque noui, neque nouisse cupio. Hoc quidem scio & probè recordor, toto illo die, admissum in Regium Conclaue, uel ad nos interrogandos, uel ad Regem uidendum, fuisse neminem. Porrò ubi Bucella, paulò fortasse diligentius, quæ de sua illa Cinnamomi aqua, non minus uino, in Epileptico morbo suspecta, pridie à me dicta fuerant, secum expenderet: mutato consilio, aquam deinceps puram, in qua diu maceratus, & nonnihil extrictus panis esset exhibere statuit. En tibi alteram & quidem extremam Regiæ ualetudinis ruinam. Quæ ribundam semper audiebamus ipsius Maiestatem illo aquæ potu (siti enim urgente dabatur, bibebaturque liberalius.) abdomen impleri nimis atque distendi: grauari corpus: cibi fastidium induci: omnesque, uel semiboni Medici sciuissent, eius usu, non urinam promoueri, quæ alioquin parcior redderetur; non sudorem prolici, alias per se difficilem satis: non conciliari somnum, uigilijs nihilominus moleste urgentibus: uicißim autem, coctionem omnem interpellari: materiam morbificam, inde minus sequacem, magisque rebellem, reddi: morbum denique uniuersum fieri potuisse crudiorem. Legantur sanæ diligenter, quæcunque de Vino ab Hipp: & Gal: cum alibi tum libris de rat. uict. in morb. acutis, nec non ab Oribasio lib. 5 Collec: atque ab alijs claßicis Authoribus usquam scripta uel obseruata sunt, nunquam certè proferetur aliquid, quo, si antea commemoratæ circumstantiæ in consilium adhibeantur omnes, non longè plura commoda, ex uino, quàm ex aqua, etiam si Rex fuisset Epilepticus (qui tamen nunquam fuit) a nobis expectari potuisse demonstretur. Esto enim, ut aliæ omnes medicæ obseruationes, a uini usu nos auocassent: una certè Regis consuetudo appetentiaque, & quod caput est, uirium ratio, quarum in

Aqua alia Regi à Bucella parata.

Vini commoda in morbo Regis, & aquæ incommoda. In Regia AEgritudine ne minimum quidem vn-

quantum

quantum fieri à nobis quicquid in re medica facturis, & potissimum victus rationem decreturis, potest, semper expendendum tuendumq; robur, rectissimè scripsit Hipp: lib. de Alim. repetitq; Gal: lib. 3. de Arte cur. ad Glauc. Cap. 3. Vinum nullo modo subtrahendum monebant. Verum, vt antea dixi, Cœlestis ille Rex, iusto suo, atq; arcano consilio, ante omnem æternitatem permittere decreuerat, vt medijs his, promota nostri Regis anteuerterent non autem retardata præuerterentur Fata. Ad prima. Consilium ab vtroq; nostrûm captum de cucurbitulis cum dorsi lateribus, tum lumbis, & cruri dextro affigendis, profundeq; satis bis terue scarificandis sex in totum: quò citra virium grauiorem iacturam (iusta præsertim sanguinis copia ex accepto vulnere, ante quatriduum effusa) partes illæ Thoracis nonnihil exoneratæ subleuarentur: nec reuelleretur tamen, si quem eò fortassè capere impetum vellet, à Crure fluxio, Hoc remedium sectioni venæ, quam Hipp: allegato iam aliquoties lib. 4 de rat. vict. in hoc morbo proponit, Galeni consilio, substituendum, propter expositas antea causas, re benè deliberata duximus. Neque cessit res infæliciter. Eductis enim ea ratione sanguinis vncijs, plus minus septem, nonnihil inde respirasse aliquamdiu visus est Rex. Siti consultum toto die, frequente ablutione oris, ex aqua frigida: in qua dissoluebatur mali citrij, ex sacharo conditi, succusè vel ipsum totum citrium minutim concisum, eademq; Italorum videlicet, artificum, arte delicatissimè paratum. Cœna propè nulla. Exiguum quoque fuerat prandium. Potus aqua, Vulnus siccum. Hora sexta noctis, recurrit paroxymus, nullo prorsus membrorum spasmo, sed animi tantum defectione, frigore extremorum, leui frontis madore, eoque subfrigido, pallore faciei, comitatus. Quò mox eadem Bucellæ arte, ac Ferenz Veselini opera profligato sequuta oppressio: quæ tota nocte Regem miserrime torsit. Somnus nullus: Pulsus languidus, velox, frequens, intercidens. Quem vt tangeret, Bucellam admonui. Mane summo, vrinæ cum exiguis ac fere nullis coctionis signis. Lassitudo ingens sequebatur. Morbi dies sextus: cuius initium, sequens diei veneris nox, erat: & qui primus à quarto par est, aliquando inter Criticos incidens: sed quòd eo plures pereant, pessimus, ac Tyranni nomine à veteribus appellatus. Sane si attente legantur ea quæ à Galeno lib. 1 de dieb. critic. Cap., 4. & XI. adnotata sunt. (constant autem illa omnia, cum obseruatione, tum verò etiam ratione, non quidem ad Lunæ aut astrorum motum, sed ad humorum conditionem naturæq; humani corporis certam, ac definitam cum alterandi, tum alterata excernendi potestatem referenda) facilè intelligetur, diem hunc, vbi præsertim continenter prope apparuerint antea perniciosa signa (cuiusmodi erant, oppressio illa fere semper perseue-

rans,

quam Epilepsiæ deprehensum vestigium.

Pulsanda cithara Androno data.

Dies Sextus acutorum morborum Infi Tyrannusque appellatus.

Dierum Criticorum vera, & non fabulosa ratio.

rans, sed feruente tamen intus materia, grauior, sidente mitior: vrinæ turbidæ, ac minimum subsidentes: vigiliæ & sitis: cum pulsu languido ac inæquali) in morbis omnibus acutis, quicquid natura moueat, magnopere metuendum esse. Ergo visum Bucellæ, visum & mihi, vt priusquam fractæ iam satis, grauius debilitarentur vires, Catharticum idem quod antea, mane repeteretur. (Galenus quoq; vsum Veratri, in hoc morbo proponit, citato antea loco lib. 4. de rat. vict. com: ad sent 29. ipseq; adeò Rex difficilem admodum, & ægre solubilem, habuit aluum) ne in tanta materiæ copia, sexto paroxysmo sæuiter (quod metuebam) vrgente, grauius contingeret aliquid. Sexto sanè ipso, quia esset quasi impar intercidens, septimoq; impari nimirum die, minus tutò catharticum exhiberi potuisse iudicaui.

Repetitum Catharticum ante Paroxysmum sextum.

Datum itaque summo mane, quod quinti morbidi diei pars altera fuit, ac sumptum. Interea temporis, qui tota illa nocte Regem obseruaueram, & nihil animaduertere poteram, quod non funestum aliquem, & quidem subitum minaretur exitum: consilium meum: exeundi ex arce, indicandiq; senatoribus Regni, & Magni Ducatus rem omnem, clam Bucellæ communico.

Die Veneris denuo Simonius cum Bucella deaperiendo Proceribus Aulæ Regiæ uitæ periculo agit.

Obseruabat omnia Ferenz Veselinius, ne inscio se, quisquam prodiret. Visum itaque Bucellæ, & dum ille huc illuc per Regiam discurrit, cubiculaque singula, & secretiores angulos quosque, animo (vt apparebat) oculisque attentè & diligenter, pro sui scilicet officij munere, lustrans, animo (ut apparebat) arcem integram, & quicquid in ea latebat, auidissimè deuoret, ego Bezoaris puluere (quem ea primum hora, obtinere potuimus) accepto, quasi ad Pharmocopolam iturus, qui læuigatum sacchare admisceret: Mox inde ad Reuerendissimum Episcopum Præmisciliensem Regni Procancellarium. D. Albertum Baranouium, recta me conferrem: cui præsentem AEgritudinis Regiæ statum, nomine utriusque nostrum exponerem. Atque ita factum est. Conueni itaque illum. Remotis arbitris, lachrymabundus, quid Regi esset, & quàm grauis metus, ne non seruari posset, facio certum. Tristi hoc ille, atque inexpectato nuntio perculsus, aliquamdiu hæsit animo. Tum ductis ab imo pectore suspirijs, ruptoque silentio, dixit. Pridie quidem illius diei, ac biduo ante, se cum alijs aliquot Senatoribus in arcem uenisse ac in anteriore Hypocausto, in quod omnibus patebat ingressus, aliquoties fuisse, omnemque mouisse lapidem, ut ad Regem admitteretur, uel saltem de toto AEgritudinis ipsius Maiestatis statu, ex Medicis, certum cognosceret aliquid: sed facta tamen a Veselinio spe, datis uerbis, tractum de die in diem, deq; hora in horam, hactenus fuisse delusum: nunc omnino effecturum (quod etiam se tum demum procuraturum promisisset Veselinus) vt die sequente qui erat Sabbathi, cum vno aut altero ex ordine Senatorio Regem

ipsum

ipsum videre atq; alloqui posset. Ibi ego his ipsis verbis. Si vespere casus idem qui antea reuerteretur (sic enim Celsus loquitur) vereri me, ne die crastina Regem frustra essent inuisuri. Ecquem bone Deus (inquit ille) mihi casum narras ; Tum ego : Casum illum exponere, per datam ac debitam Regi fidem, eo quidem tempore, ac loco, minus licere. Atq; abij, & in arcem redij. Assumpto pharmaco horis circiter quinque, sequutæ flaui, atriq; humoris deiectiones tres, copiosa satis. Inde allatus cibus. Sorbuit Rex ouum recens, ex culina Ferenz Veselinij allatum. Exin, quid sibi bibendum esset, petijt. Vbi à Bucella & Veselino audiuit, Aquam ; grauiter indignatus, esculentis reliquis a se procul manu reiectis, nihil quicquam cibi capere amplius voluit. Ibi ego Bucellæ dicere : Hyppocratem, non Lithuanum, non Vngarum, sed Coum in eiusmodi morbo, vt cognosci ex citato iam multocies lib. Sent : 29. potest, à vacuatione per veratrum, & sectionem venæ, refectionem imperari. Nihil itaq; vereretur, diluti saltem vini aliquid, Regi in Vngaria nato, educatoq;, & nunc in Lithuania decumbenti, tantumq; non cum lachrimis a nobis efflagitanti, offerre. Exhibitum a me primo atq; altero morbi die : neq; inde tamen quicquam, exasperatum sed lenitum potius fuisse malum. Surdo hæc omnia : idem præsertim renuente Ferenz Veselinio ; quia Bucella, non quidem in schola, sed in aula primū Transyluanica, deinde Polonica veram exercendæ medicinæ rationem didicerat omnem.] Quinimo, demonstrabat (idem dico Magistri sui bonus & fidelis discipulus) Regi vinum propterea non esse bibendum ; quod ægrotantes semper in ea appetitu ferantur, quæ illis futura sunt noxia & allatura detrimentum. Post meridiem igitur, hora plus minus vna languentes iam, nonnihil attollens, & circumferens oculos, ad nos conuersus Rex, submissa, & vix exaudibili, nec firma iam satis voce, sitienti sibi, concidere iam vires, dixit. Ibi tum sero sapiens, rapidis (vt est apud Poetam) accurrens Bucella passibus, aureum poculum, in vicina mensa positum, quo dilutum vinum iam ante triduum à me (sed frustra) paratum, inditis aliquot panis taleolis, continebatur, suis non meis accipit manibus, ipsiusq; Maiestati porrigit. Quæ, frustulum vnum, atque alterum, ac tertium proprijs digitis eximit : exuctumq; auidè prius nonnihil, ac deinde mansum deglutit. Exin petit, vt sibi vnum aut alterum ipsius quoque vini ; quo mirum in modum se recreari sentiret, haustulum facere liceret. Permissum. Dat inde se quieti. Factum est id hora prima circiter pomeridiana, quæ iuxta integri horologij numerum, decimanona fuisset. Dum hæc fiunt Reuerendissimus Episcopus Premisliensis, verbis quæ á me audierat, territus, diutius non esse cunctandum ratus, cum Magnifico Domino Leone Sapyha Magni Ducatus Lithuaniæ

Procan-

procancellario, in Arce adest. Petit, instat, vrget, vt intromittatur. Ducitur vterq; tandem a Ferenz Veselinio in Hypocaustum, a Regio cubiculo, semotum longius. Primus ad eos vocatur Bucella: quo ad Regem reuerso, accersor ego. Dum ea non modò repeto, quæ mane dixeram, sed etiam prope iam certam esse desperationem, artemq; vel potius curantium inertiam, malo victam affirmo, en qui me ad Regem reuocat. Aduolo. Instabat tum prope quinta seu vigesima quarta: & præcipitabat in occasum dies, cum sexto paroxysmo tribus plus minus horis anticipante (infidus hic diei sexti, & quidem haud infrequens & exitialis mos est, cuius rei tamen ignarus Veselinius: culpam deinde in vinum illud a Bucella, ante duas horas, consilio meo exhibitum, transtulit omnem) prehensus, dum sese ab eo recolligit Rex, resolutis potius, quàm contractis membris omnibus, tanta, ac tam subita, & graui præcordiorum oppreßione corripitur, vt prostrato iam ægritudine, vigilijs, aquæ vsu, robore, illius vi, nullis prorsus apoplecticis aut Epilepticis notis (quicquid vnquam aut vsquam, ad suam quoque crassam Empiriam, vtcunq; excusandam, Bucella cum fido suo Achate Ferenz Veselinio somniet, ac dictitet) apparentibus, momento id quod mane (quo inquam tempore vinum imo verò & cibum nondum gustauerat Rex) Reuerendißimo Episcopo premiscilienst prædixeram, fuerit suffocatus. Atq; hunc in modum duodecima Mensis quidem Decembris, Anni refer: 1586. Morbi verò sexta die, sub ipsum Solis occasum, annos iam quatuor supra quinquaginta natus discessit & viuis, Optimus, Iustißimus, Fortißimus Rex, dignus profectò qui longiore frueretur vita: & quem probo alias, laudatoque imprimis temperamento à natura donatum, nisi seipsum nimio illo & plusquam nimio indefessoque intempestiuæ Venationis studio, fructuumque omnis generis continuo, eoq; insatiabili vsu, ante tempus internecioni, ac libitinæ reddidisset obnoxium: par fuit, ac valde credibile, ad septuagesimum etiam annum producere salubriter potuisse vitam. Tristis perpetuò in tota hac Ægritudine fuit ipsius Maiestas adeoque vt facetis etiam atque opportunis iocis, vix ad momentaneam hylaritatem excitari, unquam fuerit uisus: taciturnus: minimè querulus, patienti animo ferens quicquid acciderit. Nocte, quæ funestum præcessit diem, totoq; hoc suspirans, Dei auxilium, atq; opem, submissa quidem, sed exaudibili tamen uoce, dum præsertim in hoc atque illud latus, molesta illa oppreßione uexatus, subinde se uerteret ac decubitus, mutare situm cogeretur, sublatis in cælum oculis, frequenter implorabat. Erat ipsius Maiestati Annus hic millesimus, quingentesimus, octuagesimus sextus, Enneaticus: quem in hominum ætate, perinde atque climatericum, insignem semper aliquam adferre mutationem: ueteres illi, ex lon-

Subita Regis Mors.

ga humanæ uitæ obseruatione perhibuerunt. Sextum quidem Nouenarium duos tantum ante menses erat ingressa sed uires nihilominus syderum, hæc inferiora gubernantium, non in momento consistere sed latioris cuiusdam temporis, contineri ac uigere limitibus, a celeberrimis quibusque Astrologis proditum scimus. Et septimestrem alioquin censemus partum, tam qui non prorsus impleuit septimum mensem, quàm qui ultra iustum septem mensium terminum, paucorum aliquot dierum spatio natus est. Quód uero tam subito conciderit, minus mirabitur, qui eiusmodi exitum communem ferme omnium eius habitus, & corporaturæ, uitæq; principium esse animaduertere potuit. Accidit id magnitudine morborum, symptomatum uehementia, causarum ui & pertinacia, onere ac labore uiscerum maiore, quàm ferre uires poßint, difficultate curandi: quò attinet illa quæ ab Hipp. lib. 2. aph. 44. literis prodita sunt.

Sectio Inspectioque Cadaueris Regij.

Triduo post Regis obitum, placuit Illustrißimis Senatoribus, ut cadauer ipsius, quod iam etiam a longinquo male olere, præ nimia pinguedine, aperto abdomine ac Thorace, intestinis uisceribus liberaretur: atq; unà, quò minus corruptioni obnoxium, integra atque immutata facie, conseruari diutius posset, gratis odoribus suffitum, & suaui liquore aliquo intus lotum & perfusum condiretur. Eos igitur qui tam tristi ministerio præesse debuerunt, certam quandam, & mihi familiarem, eius rei præstandæ rationem docui: ego qui aßiduo dolore ex morte Regis Domini mei clementißimi, misere cruciabar, nouæ illius crucis esse spectator nolui. Id ubi Bucella cognouit, quem rei benè ac praclarè gestæ conscientia uellicabat, ratus iam commodum se esse nobilis ac magnificæ barbati magisterij sui, ostentandi locum ac tempus nactum, quò iudicia hominum præueniret, togatus ipse comparuit. Vbi ad cadauer Ventum est, apprehensam prius dextra manu barbam, aliquoties mulcens, in hunc modum, atque his ipsis uerbis, quæ a multis tum diligenter "
adnotata fuere præfatus est. Domini ego sum Anatomicus, sed quia sum "
Physicus, ideo non possum facere manu mea, sed docebo istis quomodo facere "
debeant. Aderant Doctor & Chirurgus Aulæ: Pharmacopola Regius & Dispensator Regij penus: & ministri quidam alij. Ducta igitur sectione, quæ peritonæum quoque penetraret, a iugulo ad os usque pubis, deinde ad ilia utrinque, ab umbilico ad ilia, disruptis dilaceratisque uasis omnibus, confestim cadauer exenterant. Tum Bucella, specillis naso aptatis, exempta extensaque uiscera, quo certiores de loco, in quo delituerat morbi fomes, & quem reperire nolebat, spectatores reddere posset, singula tractans, atque intuens, inuentisq; lapillis duobus in uesica fellea (qui certè neque morbo neque morti causam dederunt) & Renis alterius nescio quo in conformati-

ore obseruato uitio, tandem uerò duobus tribusue inlocis per medios pulmones, ducta sectione, se nullum in ijs deprehendere uitium diserte pronunciat, deprehensurum procul omni dubio in Capite aliquod, si illud quoque aperire liceret. Non potui, ubi ista mihi renunciarentur, continere risum: & non demirari insulsum hominis genium, qui inuitis etiam Musis esse atque haberi pro Medico uellet. Quasi uerò unius tantum uel alterius, & non decem & amplius Epilepticorum, qui è uiuis discesserunt, aperto capite, nulla tamen ibi labes, aut euidens noxa deprehensa sit: quasi Epilepsiæ quæ ab infernis partibus ducit originem, & cuiusmodi Regiam fuisse (quæ tamen ulla necubi erat) ipsemet profitebatur, extare in cerebro uestigia debeant: denique uero, quasi is ipse esset, qui ueram teneret Epileptici morbi causam, de qua inter se multas, & magnas docti controuersias adhuc habent, & quam quærere, quæsitam alicubi inuenire, inuentam agnoscere, posset. Ad pulmones uerò quod attinet: quis tam rudis atque imperitus, & in Artis exercitatione tam parum uersatus est, qui nesciat, pulmonibus etiam non infarctis, aut vllo incluso humore impeditis asthmaticam illam præcordiorum oppreßionem qua Serenißimus Rex momento suffocatus est, sequi posse: Febrium ardentium, per quas, dico, æruginosa bilis circum cor exestuat indiuidua comes est sat, quæ ibi obsecro pulmonum labes? Consequitur etiam humoris copiam, qui in præcordijs firmatus, per febrim deinde impulsus, diaphragma premit, pulmonibus integris. Est & cum solus (vt supra diximus) aliunde sublatus vapor, pulmonem & diaphragma petens atq; distendens, idem inuehat malum. Asthmatici cuiusdam, inquit Valetius, dissecto corpore, abscessus repertus in artheriosa vena, nullo in fistulis aut cauitatibus pulmonis consistente humore. Legantur quæ a peritioribus alijs hac eadem de re, scriptis editis consignata sunt me certè, vsq; adeo uulgata, hic referre pudet. Sed referunt nihilominus, qui laniatus illius spectatores ac ministri fuerunt, exemptis eo modo visceribus e corpore, discerptisq; vasis omnibus non exiguam atri sanguinis copiam, in vena caua, paulo supra renes, quâ etiamnum illæsa erat, inclusam, ab omnibus animaduerti potuisse: atq; alias extra hanc, in abdominis ac Thoracis capacitatem, spongijs deinde eluendam, profluxisse. Anatomicus, physicus, imo vere & Metaphysicus Bucella, si morbi sedem probe discere voluit, cur aperto cadauere, arteriæ magnæ ipsiusq; adeò venæ cauæ, atque insigniorum earundem aliquod propaginum: quæ in viciniores ipsi trunco respirationis organorum sedes prodeunt, ductum à Renibus ad iecur, ab hoc ad cor & iugulum vsque, nunc protrusis hinc inde manu, alias eleuatis è sua sede obuijs visceribus, etiamnum integris, sensim, citra sectionem, ac dilaceratio-

nem

nem omnem prosequutus, attentè ac diligenter singulas eius partes examinando non contemplatus est? Cur Doctorem Simonium quoque ad inspectionem eiusmodi ac demonstrationem accessiri non curauit? Noluit scilicet illum habere præsentem, quia studiosè cautum voluit, ne eiusdem opera, morbus quem ipse nouisse minus potuerat, alijs manifestior fieret. Præterea, eruditiorum etiam omnium consensu, certum est, latiores illas maculas (ἐκχυμώσεις græci nominant) quæ in recens & vix dum extinctis hominibus, sese plerunque varijs in partibus corporis monstrant, partim symptomaticam quandam ex internis in externas venas, indeque biantibus iam, ac discessu caloris natiui, quasi resolutis osculis, in cutem vi residui illius, qualiscunque demum superstes, iussit caloris tentatam expulsionem, partim verò ad simplicem sanguinis feruorem & ebullitionem, quam conceptus ex corruptione calor ciet, esse referendum: eaque potissimum parte primum erumpere consueuisse, qua maxime laborauit æger. Iam verò, mortuo uix, atque etiamnum benè calente Regis cadauere, vniuersum dextrum, quâ thorax est, dorsi latus, demirante quoque id Bucella, Physico & Anathomico, mox atro sanguine, longè lateque reliquis omnibus partibus, adhuc integris, commaculatum est. Ex naribus, ex ore, ex auribus Regij cadaueris, nihil tum, aut deinceps effluxisse uisum. Sed neque dolore aut grauitate ulla capitis, neque sensuum mentisque hebetudine, aut uertigine uel minima, neque uentriculi uellicatione, aut fluctuatione, aut uomitione, nec ullis eiusmodi præcurrentibus epilepticis indicijs, momentanea illa defectione animi primum, deinde uerò ea cessante, molesta diuque perseuerante opreßione, uiuens adhuc miserabiliter exercebatur Rex. Verum esto lanè, leuis quædam vt Bucella Physicus & Anatomicus uoluit, epilepsia fuerit: longe tamen plures asthmatica syncopi, quam graui etiã Epilepsia momento extinctos ac suffocatos uidemus. Quinimo, nouimus homines qui eo malo singulis mensibus ab Adolescentia usque crudelißime torti, iam senium prope attingant: & non paucas mulieres, quæ grauidæ crebro Epilepsia corruunt; expeditæ uero, rectißime ualent. Et potuit nihilominus Bucellæ Physici, atque Anatomici opinione, uel leuißima etiam Epilepsia, e medio auferre Regem.

Maculis in cutis.

PARALIPOMENA.
Medici Regij: Adstantes: Externa.

Libet hoc loco, atq;, vt spero, licet, extra quidem, sed non præter causam, de Medicis atq; Adstantibus Regijs, delibare aliquid. Rectissime ab Hipp: in præcept: pronunciatum: Nullam vsq; esse copiam, quæ non aliquam adiunctam inopiam habeat: proindeq;, nec medicum vllum doctrina, praxi, remedijs, pulchrè adeò instructum, quin in tanta præsertim ac tam incerta singularium rerum circa quæ versatur, varietate decipi, errare, labi possit. Quam sententiam mecum subinde ruminans, diu est, quod Regem monere, imo verò & vrgere cœperam, vt Medicum aliquem solidè doctum atq; eruditum, qui mihi collega adiungeretur, ad sui corporis curam alicunde accersiri curaret: ne si casus vnquam grauior incideret aliquis, meis tantum oculis, quibus ego ipse minus fiderem, tota res geri deberet. Bucellam illum, omnis politioris literaturæ rudem prorsus Chirurgica quidem nonnulla, manu vtcunq; tractare didicisse: sed in elegantiore Artis Medicinæ parte altera, cuius professionem sibi nunc arrogaret, & quam exercere tum primùm cæpisset, cum ex Italia in Transyluaniam ad Blandratam aufugisset, nihil vsquam non inconsiderate ac fortuitò, Empiricorum instar gerere: deniq; vero, hominum quorundam opinione duntaxat, non reuera esse medicum: idq; ita se habere, Italorum ipsorum, & peritiorum quorumcunq; aliorum iudicio ac locupleti testimonio confir-

Medici Regij.

mari

mari posse;meq; adeo ipsum,qui vnâ cum eo ægrotanti
um aliquot curationi antea præfuissem, præsentem, ab-
sentem,voce,scripto, rationibus & ipsa praxi vbicunq;
futurum vnquam esset opus, ac suæ Maiestati placeret,
clarissime apertissimeq; demonstraturum.Et fuerat qui-
dem non ita pridem â me , Doctus quidam alius vir,
nomine ac voluntate suæ Maiestatis honorifico satis
proposito atq; oblato stipendio, ad eiusmodi Prouinci-
am capessendam , per Epistolam aliquoties solicitatus;
sed is , rescriptis ad me literis , quas ipsi Regi legendas
obtuli , ingenue respondit, nolle se in Aula illa versari,
in qua,Medici (sic ille loquebatur) & chirurgi par ha-
beretur ratio,& æqua vtriusq; conditio esset.Nec côta-
men a me ista nunc dicuntur , quia Regem iniqua ali-
cuius curatione, ante diem fato suo functum adfirma-
re velim : sed vt intelligatur, ad Regis afflictationem,
hinc etiam accessisse infortunij aliquid: meq; adeo mi-
nus grauiter tam acerbum optimi Regis , vel nostrum
potius casum fuisse accepturum, si doctior,& non bar-
ba,ac superciljs vel Toga , sed mascula aliqua doctri-
na, & solida experientia medicus collega mihi contis-
gisset aliquis:cum quo communicatis consilijs auxilijsq;
vniuersa Regiæ valetudinis curatio , quoquo deinde
modo res casura fuisset , præscribi, expleriq; debuisset.
Sed & in reliquis,qualis fortuna nostra fuit? Nec verò
(inquit idem Hippocrates aph: 1.) satis est Medicum Adstan-
suum fecisse officium,nisi suum quoq; Æger , suum ad- tes Regij.
stantes fecerint : sintq; externa ritè comparata omnia.
Porrò in Rege ipso (quod quidem ad hoc attinet) nul-
la,vel certè exigua, eaq; modestioris cuiusdam naturæ
potius, & patriæ consuetudinis, quam voluntatis cul-
pa.De cœtero,ijdem duo qui Medicorum,Adstantium
quoq;

quocꝫ munus exequebantur. Tertius fuit Stephanus Lepſcenius nobilis vngarus, cubicularius Adoleſcens, Quartus affuit Ferenz ille Veſelinius Cubiculi præfectus: in quo certè (meo quidem aut recto aut obliquo iudicio) deſiderari non aliquid, ſed multum potuit. Primum enim (vt mittam id, quod ad catholicæ fidei poſtremam pio, relligioſoqꝫ Sacramentorum vſu profeſſionem conteſtandam pertinet, culpa illius vnius à Rege prætermiſſum) ſuperuenerit ſanæ illa hora, quam vltra, citraq; ſubſiſtere, aut progredi Sereniſſimæ auguſtiſſimæq; memoriæ, Stephani Bathorÿ primi vitæ minime potuerit: Regem tamen Polonorum, & Magnum Lithuaniæ Ducem, pluribus adiutum ac ſubleuatum fuiſſe remedÿs, non autem, in tanta pharmacorum, atq; idoneorum alimentorum inopia perÿſſe, decuit. Vt vt enim (dico) vltra præfixum illum ſtabilemq; terminum, ſubſidÿs nullis medicis vel tantillum quidem protrahere decurſum Ætatis ipſius licuerit: quid tamen obfuerit, egiſſe vt protraherentur omnia? ſed nulla prorſus alia, in promptu exquiſitiora remedia erant. Sed nulla fortaſſis, in promptu ſingularia, & communibus illis ex inope alioquin, & miſera ſatis pharmacopæa Regia ſumendis, exquiſitiora remedia, erant. Erant: ſed perinde, ac ſi non eſſent. Arculam enim illam

Notato nomen illud ſubſtantiuum ARGENTVM.

quam Rex habuit, iuſtæ ſatis magnitudinis, multisq; diſtinctam Alueis: quibus pyxides, & vaſcula alia, ex puro argento, præcioſioribus oleis, vnguinibus, puluer ibus atq; omnis ferme generis pharmacis alÿs, ad multas ægritudinum ſpecies valde commendatis, è varÿs Europæ ÿsque longinquis Regionibus, partim ſtudioſe conquiſitis, partim vltrò à ſummis Principibus ac Dominis Maieſtati ſuæ dono miſsis, plena continebantur;

non

non Medicus vel Pharmacopola Regius apud se (quod tamen voluit sœpeq́; mandauit Rex) vt ad subitos quosq́; atque inopinatos casus, ad manus esset: sed Ferenz Veselinus domi suæ seruabat. Quam etiam & ante Regis ægritudinem, in potestate nostra esse, (quibus tamen, cum Rege & Aula, peregrè ad aliquot septimanas & quidem sine pharmaco & Pharmacopola exeundum aliquoties fuit) nunquam passus est: & in hac postrema extremaq́; Regis necessitate, proferre præ nimio (vt opinor) dolore ex ægritudine ipsius Maiestatis concepto extra se quasi positus, miser oblitus fuit. Secundo scimus, quanti ægrotantium salutis intersit, vt præscriptus à Medico cibus, ea qua decet fide ac diligentia paretur: vbi præsertim, non tam iusti alimenti loco, quâm abhorrente à pharmacis aliis ægro, in medicaminis vicem summi debeat, Non inquam, vulgarem & quotidianam illam Coco cuique etiam benè perito familiarem, sed elegantiorem exquisitioremq́;, ac singularem quandam, in eiusmodi præparandis ferculis adhiberi artem atq́; industriam, necesse est: vbi e Coquina Medicinæ famulatrice, in mensam ferri ea debent, quæ non palato tantùm sapiant, sed amissam recuperandi sanitatem, apta fiant, iustaq́; remedia. Iam verò quomodo nobiscum actum? Stabat continuò foris, ante communis Hypocausti clausam Ianuam Coquinæ Regiæ præfectus, Dominicus Alemannius nobilis Florentinus, vir ob singularem suam iudustriam ac fidem Regi vald charus, Deos deasq́; omnes implorans atq́; obtestans, vt sibi, cuius vnius officii, munus illud esset, quis, & cuiusmodi, quoue tempore, a Medicis præscriberetur cibus, audire, &, quod non minus haberet momen i, vt priuato aliquo Regiarum ædium loco, ab

Tacita quedam uis & facultaseaq́; satis efficax Argento in est, tam obruendi quam suscitandi memoriam. Externa.

F homi-

hominum conſpectu & conſuetudine procul remoto, ipſique adeo Cubiculo Regis propiore, id quicquid eſſet, apparare liceret. Nunc enim, aut ex vnius Veſeliniŋ foco, aut ex communi Aulæ culina, rudium, minusq́; ſtudioſè ac diligenter, medicas & ſalutares illas, minutioresq́; coquendorum ciborum præceptiones obſeruantium miniſtrorum manibus, non citra ſuæ dignitatis labem ac maculam, ſed quod caput eſſet, cum Regiæ quoq́; Maieſtatis imminutione, ac periculo, ſe non conſulto prius, aut etiam inſcio, parata adferri omnia. Verum iſta foris ille, aduerſo vento lamenta nequicquam edebat: nam intus Ferenz Veſelinius erat, qui pro Medico, pro Coco, pro Cubiculario, pro omnibus, & ante omnes, ipſe vnus, ne vllus alius Regis gratiam, in extrema illa neceſsitate officio aliquo ſuo mereretur: eſſe ſatis ſuperque debuit, & vero potuit. Ad huius inquam nutum in Regia culina gerebantur omnia: & ex huius vnius culina, modò hæc, modo illa fercula neſcio quæ, fideli vxoris induſtriâ & manu parata Regi, apponebantur. Poſtremo: nemo eſt qui neſciat moris aliâs Aulæ Polonorum, ac Lithuanorum nec non aliarum eſſe ac fuiſſe ſemper: idq́; etiam Principis, qui gubernacula Reip. tanquam in prora ſedens, (vt inquit AEſchylus) rector & moderator nauis, tenet, Maieſtatem poſtulare, vt quoties morbo aliquo grauiore tentetur, ipſi tanquam Capiti, ex præcipuis Reipub: membris, quorũ dico interſit, prouidere, ne ſalus illius periclitetur, quaſi auxiliares & fidi cuſtodes adhibeantur, prudentiores & ſingularis alicuius ac ſpectatæ authoritatis homines aliquot: qui adſint continuo Principi: progreſſus valetudinis ipſius obſeruent: exitus cogitent; audiant â Medicis ipſis, quid & quantum

agi

agi vel omitti debeat: videant ne quid imperitè, ne
quid temerè aut inconsideratè, deniq; verò nequid
confusè vsquam fiat, sed vt omnia ritè ordineq; proce=
dant: atq; ad vnius illius capitis incolumitatem conser=
uationemq; instituta dirigantur: qui nimo, vbi grauior
sit metus, accersiri curent ad consilium alios quoque,
quotquot præsto esse posśint medicos: Chirurgo, Phar=
macopolæ, ac ministris omnibus alijs, quorumcunq; de=
mum consilio, manu, opera subleuari posśit æger, vt
continuo adsint, partesq; ad medicorum præscriptum
sedulò suas agant, omnino mandent. Nunc, referre
placet, quomodo cum Rege nostro sit actum. In ar=
cem quotidie imo verò singulis ferme horis, seruos, mit=
tebant suos, aut ipsimet conueniebant senatus polonici
ac Lithuanici proceres & Aulæ Regiæ nobiles primo=
res aliquot: orantes, petentes, instantes, vt sibi de Re=
gis valetudine certum aliquid cognoscere, aut illum eti=
am videre, visere, alloqui in quo Reipub: ac fortuna=
rum communium sita esse videretur salus, liceret. Ve=
rum hac etiam in parte, fatali illa Regis fortuna, vsi su=
mus iniquiore. Vix enim, tum primum sunt in Concla=
ue Regium introducti Senatores, cum Rex iam reddito
spiritu, clausisq; in æternam (vt poeta loquitur) no=
ctem oculis, Regnum vna cum fragili hac atq; caduca
vita deposuerat. Vnus is, quem frequentius quam vel=
lem nominare cogor, Ferenz Veselinus Vngarus qui
Regi ad nullum adhuc principatus gradum euecto, pri=
uatamq; paternæ domi suæ vitam agenti à puero serui=
erat, non magni Iudicij Inuenis, nullius eruditionis, nul=
lo tractandarum aut gerendarum rerum vsu præditus,
(hæc omnia decies etiam Regem ipsium adfirmantem
audiui) nulla demum ingenij, nulla sermonis, nulla mo=

rum gratia ab vllo (quod ego quidem audiuerim) vs-
quam aut vnquam ex animo commendatus : inuisus
(nescio quamobrem,sed fortassis immeritò) Nepotibus
ipsis Regijs,atq; vngaricæ nobilitati , quæ in aula erat,
& quod sibi vni natus,suiq; vnius commodis seruiens,
si quæ vnquam aut vsquam caduca hæreditas vel pos-
sessio vacua esset,eam quasi perpetuò famelicus atque
insatiabilis Lupus inhiare vulgo putaretur (quod ego
tamen vt credam , vix adduci possum) Polonis & Li-
tuanis quoq; nobilibus odiosus atq; ingratus:hic inquam
talis tantusque vir,vnus Cubiculo Regis,Regique adeò
ipsi præerat : intus cuncta omnipotenti imperio suo re-
gens atq; gubernans: ad cuius etiam nutum arbitriums-
que , Medicos & Ministros cubiculi Regij fingere se,
atque accommodare oportuit : huius vnius permagni
interfuit,ægritudinem Regis ac statum illius,& futurum
exitum minutim cognoscere : reliquorum autem omni-
um , Regni & Aulæ Procerum,nihil prorsus : vnum
hunc denique Aulicum supra & super omnes Aulicos
defuncto Rege bene pinguem ac saginatum (quæ res
illi fœliciter vertat)superesse decuit,ne reliquorum,Au-
licorum qui belli pacisque tempore fideliter seruierunt
attritis ac perditis iam propè rebus viuo adhuc Re-
ge,ac paulo post ab eis ad superos migraturo,in tempo
re prospici vlla ratione posset. In promptu semper fu-
it,est,erit,prætextus ille : Regem intromitti voluisse ne-
minem. Esto sane id , de quo mihi quidem nihil con-
stat,sed qui micam salis in capitis nucleo habuisset,certe
is,qui vngarum se,non polonum,non Lithuanum, non
corporis Reip : Polonorum membrum , sed excremen-
tum esse probè sciret : & locum tamen non suum sed a-
lienum occuparet, à medicis præsertim antea monitus,
ipse

ipse vicissim Senatores præsentes, deq́; sui Regis valetudine tantopere anxios ac sollicitos tacite certiores in tempore saluisq; cum Regni tum suis & Medicorum rebus omnibus facere potuisset. Neq; enim dubitandum est, quin ipsi tum demum pro singulari prudentia fideq; erga Regem & Regnum sua, quid & quantum ex sui muneris officio ac dignitatis authoritate agendum esset, vel agi citra omnem Regis indignationem, & cubicularium ministrorum damnum potuisset, maturè sapienterq́; deliberaturos ac statuturos fuisse: vt quemcunq; deinde Regis ægritudo habitura fuisset exitum, is cum Regiæ Maiestatis dignitate longè maiore Aulicorum certiore commodo, Medicorum & adstatium dedecore damnoq; nullo, sequi debuisset. Verum hoc, abreptum iam dico a nobis tam iniquo ac miserando casu, Regem optimum, Iustissimum, Fortissimumq́;, lugere nunc quidem, sed non mutare consilio, aut eundem a mortuis excitatum, quasi post liminio recipere, atque in pristinum restituere statum arte licet.

FINIS.

AMICO LECTORI S.

PRodÿt in proximè celebratis Varſauiæ comitÿs in lucem, Epiſtola cuiuſdam Georgÿ Chiakor ſcribæ vngari, de morbo & obitu Stephani Regis, cum eiusdem epiſtolæ Examine, Authoris anonymi: Vtrunque ſcriptum, ſanè ineruditum, & mendici potius Agyrtæ alicuius, quàm medici calamum & ingenium redolens, præter horrendas calumnias, & crudelia conuicia, quibus Simonÿ nomen iniquiſsimè flagellatur, abſurdiſsima craſsiſsimaq. mendacia continet: quibus ad præuertenda hominum iudicia, longe alia ægritudinis Regiæ Idæa & curationis ratio exponitur (& quidem infæliciter exponitur) quàm reuera fuerit. Dum latere voluit, elegantis ac nobilis illius Examinis Author, ſe ipſum imprudens, apertiſsimè prodidit. Et facilè alioquin fuit, ex multis næuis ac maculis, tanquam certiſsimis notis, tam miſeri, tam ſordidi, tam ſcabioſi fœtus, benè barbatum ac ſuperciliosſum parentem, iuratum Simonÿ hoſtem, agnoſcere. Ad illud, minutim reſponſum iam pro dignitate ab alio quodam probo, doctoq. viro eſt, Simonius, hac ſimplici & vera toti us reinarratione, factum ſatis honori, atq. exiſtimationi ſuæ, nunc quidem putat.